# D. D.

JCTORUM ORDINE,
IN REGIO AD EMMAM LYCEO,
ADNUENTE,

# JUS ADQUISITI-

ONIS ORIGINARIÆ,
AD JURIUM NATURÆ ET CIVILIUM PLACITA,
VELITATIONE JURIDICA,
PRÆSIDE,
*VIRO AMPLISSIMO ATq; CONSULTISSIMO*
OLAVO HERMELIN,
ELOQV. ET POES. PROFES. PUB.
NEC NON JURIS DESIGNATO,

IN AUDITORIO MAJORI AD DIEM 3 MARTII
ANNI M. DC. XCIV.

*ERUDITORUM CANDIDO*
*SUBMITTIT JUDICIO,*
GILLIUS DREYLICH.

---

DORPATI,
Excudit JOHANNES BRENDEKEN,
*Acad. Typographus.*

16.

TARTU ÜLIKOOLI
RAAMATUKOGU
28856235

# LEGENTI INGENUO.

ARgumentum hoc ex vasto Juris Oceano desumtum, apicem & particulam istius, quod NOSTRUM dicitur, ex *Origine* eruens, eamq; si ULPIANO credamus *primam*, (a) eo majori sese insinuat dignitate, quo magis illud, *Centrum* ac *Punctum* omnis Justitiæ ac Juris meritò audit. Modus vero tractandi, mea commendatione, adornari non debet. Si enim is talis fuerit, qui bonis doctisq; arrideret, jure potiori illorum de me mihi gratularer judicium, quam illi conatum meum mihi: Sin minus, commendatio rei non probandæ, ipsam eo magis culpandam redderet. Verum, cur hoc potissimum præ alio selegi, causa non extitit minima. Subindè enim LL. ac Dd. Jur. Rom. sicco, ut ajunt, pede, cum percurrissem: ullam vix, quam eam, quæ de *Rerum divisione & adquirendo earum Dominio* inscribitur, materiam, ubi Juris Naturalis frequentior mentio fiebat, deprehendi. Re autem curatius inspectâ, varia occurrebant, quæ vel ex Jure Nat. vel Gentium petita tradebantur; mera tamen LL. Civilium decreta extitêre. Nec mirum: *maximi namq;*, teste RACHELIO, *est negotii, LL. Arbitrarias à Naturalibus probè discernere, quod tamen æquè fructuosum, ac alias difficile est.* (b) Accedebat adsertum RONDINI, *infeliciter admodum*, dicentis, *eos circa Jura versari, qui nullo perpetuorum ac positivorum observato discrimine, hæc invicem confusa tractant.* (c) Variis ideo scriptis, Juris Nat. disciplinam tractantium collatis, quæ ad institutum facere judicabam, congessi, illo quo cernitur ordine digessi, Juris Naturalis principiis Jura Civ. conjunxi, utriusq; differentiam, propria, ut spero, sede, interstinxi. Ne tamen aliorum labores, pro nostris venditare contra expressum Jur. Nat. præceptum, *Suum cuiq; tribue*, judicaremur, penitusq; crimen plagii literarii effugeremus; ubiq; Authores, per quos profeceri-



(a) *arg. l. 41. ff. de LL.* (b) *In proleg. ad Instit. Jurisp. p. m. 4.*
(c) *Vid. Eris Scand.* PUFEND. *p. m. 409. §. 12.*

fecerimus, exemplo Imp. JUSTINIANI, (d) ſuis nominibus citavimus, ac LL. tam Pat. Rom. quã Saxon. quantum fieri commodè potuerit, allegavimus, Uſuiq; hodierno adplicavimus. Conſultum magis ducentes, ex tot JCtorum celeberrimorum opinionibus contrariis, optima eruere, quam effictas quasdam conjecturas, trepida porrigere manu. Sed & heic, *magna cura*, fatente DUARENO, *& diligentia, ingeniiq; acies, ad bona eligenda, & rejicienda contraria eſt exacuanda.* (e) Et, veluti araneārum textus, nec eam ob cauſam nobilior, quod ipſæ fila à ſe gignant: ſic apium nec indignior natura, quod ex floribus dulcedinem adtrahant: nec eapropter noſter conatus culpandus eſſet, ſi ex aliorũ, ſicuti apes, hinc indè quid libamus. *Lapides & ligna*, ut ait quidam, *ab aliis accipio, ædificii tamen exſtructio mea.* In iis verò ubi LL. aliqua neceſſitas, ſtilum non præoccupaverit, multum equidem magnorum auctoritati virorum credidimus, de noſtro tamen quædam ſupplevimus; quod omni abſq; jactantia, aliorumq; debitæ laudis præjudicio, prolatum volumus. Quin potius, ut verba Cl. THOMASII mea faciam: *alii ſoli relinquam, quæ benè dicta ſunt, etiamſi mea ſint, quæ verò inconvenienter & minus aptè poſita deprehenduntur, ea ſola mihi reſervabo.* (f) Quapropter, ſi quædam ad veritatis cotem minus polita adpareant, veniam certiſſimam, me impetraturum, ab animo quovis generoso, certus confido. Tu interim L. B. conatibus fave, exiguiq; temporis ſpatium, in hiſce perlegendis tribuere ne dedignare, inq; judicio proferendo, JCtum te præbe, hoc eſt, ne nimis præceps eſto. Mentem verò lividam, non ſolum longe infra dignationem detrudimus, quin &, eminus abeſſe jubemus, ſat ſcientes, tuum eſſe unicum, ſatyricos in innocentes ſtringendo ſermones, propriam vindicare inſcitiam. Cauſam agant Imperat. *Calumniantes ad vindictam, poſcit ſimilitudo ſupplicii.* (g)

(d) *l. 2. §. 19. & 20. l. 3. §. 10. & 20. C. de vet. jur. enuel.* (e) *In prin. præfat. ad 2. part. Oper.* (f) *In diſſ. proœm. ad Juriſp. §. 25.* (g) *In l. fin. C. de Accuſ.*

*Politiſſimo & Eruditiſſimo*

# Dno. GILLIO DREYLICH,

Auctori hujus elegantis operis perclaro,
Amico ſuo dilecto,

*DUm Te delectat* Jus ſanctum ab origine primâ,
*Unde* meum *retegis perbene quodque* tuum.
*Hoc facis, ut merito tibi præmia tanta parentur,*
*Quanta Themis doctis conciliare ſolet.*
*Jam Mæcenatum eſt eadem perſolvere honoris*
*Munia, quæ fuerint digna labore tuo.*
*Quæ, precor, accipias, raperis qui Juris amore,*
*Ut multo poſſis lætus honore frui.*
*Sic vetus & tritum, quod* Juſtinianus honores
Det, *verum fiet; Vive valeque benè!*

*Hæcce pauca officii declarandi bonique*
*ominis ergo relinquere voluit*

Gabriel Sjöberg/
Prof. Phil. Moral. & Civ.
h. t. Acad. Rector.

Eidem.

# Eidem.

*Diva, potens legum, rectiq; acerrima vindex,*
*Cui datur abstrusas pandere juris opes;*
*Huc ades, ætherei seu te jam regia cœli,*
*Conscia fatidici seu tenet ora vadi.*
*Huc ades, optatæq; subi penetralia sedis,*
*Qua trahit irriguas Emma palustris aquas.*
*Cernis, ut hic vacuæ stent consultoribus aræ;*
*Ut sacer exstincto lugeat igne focus.*
*Si quis adest, rigido procumbens limine templi,*
*Invocat aversæ numina surda Deæ.*
*Atq; aliquis sacras voluit cognoscere sortes:*
*Irrita sed rapidi vota tulere noti.*
*Flens redit, & geminas tendens ad sidera palmas,*
*Quid, Themi, de nostra nunc abes, inquit, humo?*
*Quo facto tantam luimus, quo crimine, pœnam?*
*An sumus ad cultum turba maligna tui?*
*Non obtusa adeo gestamus pectora gentes,*
*Quas alit hyberno terra perusta gelu.*
*Et nos Phœbæas colimus non segniter artes:*
*Et salit in nostro Pieris uda solo.*
*Sæpe venit, bifidi delapsus vertice montis,*
*Delius, argutam sollicitatq; chelyn.*
*Sæpe comam nexus lauro, nitidusq; pharetrâ,*
*Hic sua visurus munera lætus adest.*
*Te quoq;, deserta tandem Cephiside ripâ,*
*Huc tua spectatum sacra venire decet.*

*Indue*

*Indue jam Tyrio bis tinctam murice pallam:*
*En lux in laudes nascitur ampla tuas.*
*Ille tui ritus teneris venerator ab annis,*
DREILICHIUS, *pulcrum jam tibi sistit opus.*
*Primus inasvetum delubro instaurat honorem;*
*Et vetat immunes thure vacare lares.*
*Dumq; frequens volvit spatiosa volumina legum,*
*Mente celer memori jussa verenda notat.*
*Tum quæ nascenti fudisti oracula mundo,*
*Colligit, assidua cuncta dicatq; manu.*
*Diva fave cœptis; solertiq; annue vati:*
*Sic tuus haud dubia sede vagetur honos.*
*Crede, litat primo qui sic tibi flore juventæ,*
*Olim cum plausu te colet ille fori.*

O. Hermelin.

---

IN
DE JURE ADQUISITIONIS ORIGINARIÆ
DISSERTATIONEM
Perpolitam
*Viri Juv. perquam Clari*
# GILLII DREYLICH,
Amici mei veteris ac honorandi;
αὐτοσχεδίασμα gratulatorium.

O! quid secula jam reddat ut aurea,
Felix regna suos perque Aborigines

Satur-

Saturnus repetat, poſcimus anxii!
Si Saturnia vis gaudia meſſium;
Campum conſerito, arvaque Limite
Signatum propera. Cunctaque ſin cupis
Ut communia ſint: munifica manu,
Nec juſta minus, O! fac tribuas ſuum
Cuique. Aſt divitias, & Tua regna ſi
Inconcuſſa cupis: Fac ea perbono
Nitantur titulo, poſſideasque nîl
Quod tî non liquido jure paraveris.
Quæſitum at quid erit Jure, diſerta dat
Nobis expoſitum, pervigilataq;
Iſthæc pagina; Quid jura Quiritium
Quid leges patriæ, ſcitave gentium
Naturæque velint, ſolicita manu
Heic digeſta vides. Gratulor, & ſimul
His ASTRÆA favens ſit precor auſibus.

*L. M. deproperavit*
*S. Dimberg,*
Matheſ. Prof. ord.

LEGEN-

# CAPUT. I.

## PRÆLIMINARIA QÛÆDAM JUXTA *ORIGINEM* AC *FONTEM DOMINII*, EUJUSq; DIVISIONES INSINUAT.

## CONSPECTUS.

*I. Explicatio verborum utilis ac neceſſaria:* laudatur OLDENDORPIUS.

*II. Perpenditur vocabulum* Juris: Obligatio *quid?*

*III.* Adquiſitio *quænam in præſenti pertractanda.*

*IV. Diſinitio materiæ ſubſtratæ explicatur:* Jus *conſtituendi* Dominia, *eſt ex conceſſione Divina* immediatè: *Deſcriptio* Dominii.

*V. Facultas in Res hujus inferioris, partim per naturam, partim per revelationem homini innoteſcere poteſt.*

*VI.* Donatio Divina *naturam* Juris, *nec in ordine ad* Deum; *neq;* animalia; *quæ omnis juris ſua natura ſunt incapacia. ſed*

*VII. In relatione ſolum ad* homines alios, *induit; Non verò ſi homo concipiatur ut* Unicus: *cum* Extra ſocialitatem non eſt Jus. *Protoplaſti non habuere* Dominium univerſale *totius orbis. Qualis differentia inter* Dominium privatũ *ſeu* ſtrictè *ſic dictum, &* Commu-



nionẽ poſitivã, *ſeu* latè *acceptũ?*

*VIII. Non neceſſarium eſt omnem vim dominii* Originariè *&* immediate *ex* pacto *deducere.*

*IX. Rationes contrariæ examinantur;* Dominium *oritur* immediatione pacti *per* occupationem. *Pacta per ſe numquam obligant. Jus omnium in omnia* HOBBII *non quidem probatur, aliquatenus tamen excuſari poteſt.*

*X. Dominium* Originariè *adquiri nequit per* Diviſionem. *Reſpondetur* GROTIO & ZIEGLERO.

*XI. Communio negativa non eſt ex* Inſtituto humano, *ſed eſt* non-ens morale *ſeu* non-Jus.

*XII. Examinantur contraria; oſtenditur quoq;* Pactũ *numquam locum habere poſſe*, antecedenter *ad* Occupationem, *niſi* Res *ſint* poſitivè *communes.*

*XIII.* Res ſingulas *dividere* Singulis, *non quidem eſt lex naturæ, licet* Dominium *ſit Juris naturalis.*

*XIV. Diviſio Dominii.*

§. I. Si

§. I. SIquidem mos quidam ac consvetudo, ævi doctioris suffragio adprobata, vim quasi legis obtinuerit ac vigorem, ut antequam intimiora discursus cujusdam arcana paulo adcuratiori mentis trutina examinentur, nonnullis in ipso limine, vocum verborumq; originem demonstrare ac naturam, necessum sit: sic alienum nec arbitror, si idē, præsenti in negotio, ad ductū ipsius Jcti ULPIANI (a) sim facturus; *cum enim natura rerum ita conditum sit, ut plura sint negotia quam vocabula*, (b) Propterea ni variæ eorundem acceptiones adhiberentur ac significationes, vix aliter fieri potuerit quin errori ac confusioni locus adsignaretur, veritasq; ipsa, quæ prima sit ac ultima interdum periclitaretur, decq; throno quasi suo deturbaretur; cum, ut ait PAULUS, *in ambiguo sermone non omne dicimus, quod verbo significatur, sed id duntaxat quod volumus.* (c) Satis ergo egregie OLDENDORP. *Neglectus verborum parit paulatim rerum incertitudinem, rursus incertitudo neglectum, ut tandem neq; verba neq; res teneamus.* (d) Abusus tamen omnis abesto.

§. II. Primo itaq; lese vocabulum *Juris* à *jubendo* dictum, in nostra *Rubrica*, (e) insinuat; quod quam varias admittat interpretationes, haud obscurè sequentibus adparebit. I. Sumitur (ut termino utar Philosophico:) *materialitèr*, pro eo quod legibus civilibus constitutum est. (f) II. Pro sententia qualicunq;, licet iniqua deprehendi possit. (g) III. Pro loco ipso, in quo Jus dicitur: veluti cum dicatur; aliquem in jus vocare. (h) IV. Pro necessitudine; ut cognationis & affinitatis

(a) *l. 1. ff. de just. & jur. l. 1. §. 1. ff. de pact. l. 1. ff. de reb. cred.* (b) *l. 4. ff. de præscript. verb. Conf.* ARIST. *2. Ethic. 7.* CICER. *pro Cæcin. & lib. 3. de finib. in prin.* SENEC. *lib. 2. de benef. Cap. 34. & Epist. 58.* (c) *l. 3. ff. de reb. dub.* (d) *Class. 4. act. 24. in proleg. cir. fin.* (e) *vid. l. 2. §. 3. ff. de interd. sive extraord. act.* (f) *arg. tot. Tit. ff. de jur. & fact. ignor.* (g) *l. 11. ff. de just. & jur.* (h) *vid. leg. eand. ff.* tatis (i) V. Pro potestate patris & heri. (k) VI. Pro auctoritate tutoris & curatoris (l) VII. Pro ipso justitiæ objecto, quod est Jus cujusq; suum. (m) VIII. Pro arte æqui & boni. (n) *Systematicé* accepto. STRAUCH. (o) IX. Pro jussione sive sanctione. (p) X. Pro qualitate seu potestate lege concessa, certamq; ab eadem formam sortita; ut in definitione Itineris, Viæ, Aquæ-ductus; ubi dicitur: *Iter est jus eundi, ambulandi homini. Actus est jus agendi vel jumentum vel vehiculum.* (q) Atq; hæ vocabuli *Juris* acceptiones secundum hypothesin Jur. Rom. sufficiant, plures qui desiderat, eos adire poterit, qui lexica, locos communes, Manualia, etc. conscripsere; nobis ab isthoc tantisper abstrahendo; *Jus* vel in *sensu absoluto*, vel *respectivo* sumi posse videtur: *Isto* synonymum quoddam *legis* constituimus, quæ strictè ac proprie accepta nihil aliud est, quam *Jussum imperantis, obligans inferiorem ac subditum, ut adpræscriptum ipsius actiones suas dirigat. Hoc* verò iterum dupliciter: 1. pro *Justo* tanquam *attributo actionis*, dicitq; ipsam rectitudinem actus cujusdam ex conformitate ac convenientia cum lege ortam; quo *intuitu non tam* absolute ipsam legem, quam relativum quid ad eandem significari in aprico est. 2. pro *attributo personæ*, denotans facultatem moralem activam proximè vi alicujus legis aut occasione pacti, personæ competentem, ad aliquid ab alio, quo cum socialitatem colere tenetur, justè habendum vel agendum. Quo sensu *Jus* involvit respectum ad *Obligationem* alterius; ita quidem ut qualecunq; mihi competat *Jus* confestim in altero, *Obligatio* tamquam correlatum respondet, vel ad aliquid *præstandum*, vel ad *non impediendum*, quo minus jure meo libere utar. Est autem *Obligatio* qualitas moralis passiva



(i) *l. 12. ff. eod. tit.* (k) *Tit. Instit. & ff. de his qui sui vel alien. jur. item Instit. de pat. potest.* (l) *Tit Instit. de Tut.* (m) *Tit. Instit. de just. & jur. l. 10. ff. eod. tit.* (n) *l. 1. ff. ibid. conf. etiam l. 1. §. 1. in fin. ff. de aq. & aq. plv. arc.* (o) *in Instit. diss. l. aphor. 1.* (p) *Instit. de I. N. & G. l. 1. §. 3. ff de just. & jur. Tit. Instit. de reb. corp. & incorp. l. 86. ff. de verb. sign.* (q) *L. 1. ff. de servit. præd. rust.*

ab imperante ultimatò seu originarie injecta, libertatem restringens, ad aliquid dandum vel faciendum. *Dare* & *Facere* sic differunt: quod illud sit *dominium transferre*, (r) hoc vero reliqua facta omnia, imo etiam non facta comprehendit. vid. THOMAS. (s) & A. RYSSEL. (t) Unde ex consideratione istius significatus, duplex denuò *Juris* suboritur sensus: Vel *Jus* habeo ad aliquid agendum; Vel *Jus* aliquid ab altero accipiendum: hujus significatio est; *Jus est mihi ab altero quid habendi, ita ut eidem quoq; insit obligatio idem mihi tribuendi.* Istius autem, *Potestas mihi competit certum actum exercendi, & in eo nemo me impedire debet.* conf. PUFENDORF. (u) Ex his duabus posterioribus, ultima maxime ac commodissime in præsenti negotio inservire posse videtur, ac cum postrema ex Jur. Rom. paulo superius petita, ferè convenit. Hæc *Adquisitioni originariæ*, illa *Derivativæ* magis competit. Ubi tamen præsuppositum volumus *Titulum* ad adquirendum idoneum. (w) Qui etiam *Causa* dicitur: (x) quæ indicat, rem quandam vel rectè fuisse adquisitam, ac recte jam ipso actu retineri, vel etiam adquiri posse ac legitime teneri. PUFEND. (y)

§. III. Quod ad alterum vocabulum in discursu hoc nostro, *Adquisito*, adtinet, verbo saltem nobis explicandum venit, observandumq; quod non in *sensu latiori*, prout includat *Adquisitionem* istam, quæ non tam proprio marte, quam prospicientibus aliis provenit; Quo referri queant *Res* per hæreditatem ac donationes quasvis gratuitas, provenientes: sed paulo *strictius*, prout *Bona industrialia seu adquisita* (z) in legibus nostris opponuntur *Bonis hæreditariis*; (a) Cujus respectu lingva vernacula disjunctive dicitur: **Arfwa eller Förtvärftwa.** Quamvis

(r) *arg. §. 14. Instit. de action. Conf. l. 167. ff. de reg. jur.* (s) *Jurisp. divin. lib. 1. Cap. 1. §. 137.* (t) *de J. N. & G. l. 1. §. 21.* (u) *De J. N. & G. lib. 8. Cap. 3. §. 5.* (w) *l. 26. ff. de acq. & acq. pluv. arc.* (x) *§. 40. Instit. de rer. divis. l. 31. in prin. ff. de acq. rer. dom.* (y) *De J. N. & G. lib. 1. Cap. 1. §. 20. & Element. Jurisp. univers. lib. 1. definit. 8. §. 1.* (z) *Cap. 9. & 29.* Bygn. B. II. *Cap. 4.* Stl. *eod. tit.* (a) *C. 1.* Jord. B. Stl. *c. 2. & 3. eod. tit.* II.

vis me nec lateat, sub *bonis industrialibus*, seu *adquisitis* etiam legibus patriis comprehendi *Donationes*, veluti expresse *Donatum afling* nominatur; **Och det giftwit godz och ſtwå aflat.** hoc est; *Et donatum bonum & sic adquisitum.* (b) Jure quoq; Lubecensi, omnia bona pro *adquisitis* habentur, quæ non sunt *Hæreditaria.* (c) *conf.* CARPZOV. (d) & MEVIUS. (e) Interim tamen istiusmodi donationes quævis, cum non tam dependeant in actu adquirendi, à voluntate adquirentis, quam ab eo à quo adquiruntur, inde magis ad *Adquisitionem derivativam* pertinent; Eatenus ista acceptio hac vice ab instituto nostro aliena. Quid per vocem *Originariæ* intendimus monstrabit §. proxime sequens. Admonitum ulterius Jctorum, *cum prior verborum, potior tamen rerum habenda sit ratio*; GOEDD (f) consequens erit, rem ipsam propius adgrediendo, materiæ substratæ definitionem aliqualem, proponamus. Verum, hoc opus hic labor: lubens fateor, non arduum minus quam difficile munus esse ad regulas & leges philosophicas, definitiones posse exactas, omnibusq; numeris absolutas, adhibere; nec incongrue admodum dici: *Omnem definitionem in jure præcipue civili periculosam esse, parum enim est, ut subverti non possit*; (g) Nihilominus tamen, *ut omnia absq; aliorum consilio statuere velle, præsumpta est temeritas, sic cuncta iterum ex aliena exsequi sententia, ignorans servitus*; *prout* SAVEDRA in Idea principis Christiano-Politici docte admodum differit; (h) Et verbis ut utar PUFENDORFII; *Neq; ea est mihi superbia, nec eam adhuc cani pertinaciam addant, ut monitu superiorum aliquid didicisse aut emendasse erubescendum mihi ducturus sim, quin & refellere sine pertinacia, & refelli sine iracundia paratus ero.* (i) Et, *inanis est, disputatio, quæ fit sine cedendi voluntate.* BARBOSA. (x) Sit eapropter.

§. IV. Jus ADQUISITIONIS ORIGINARIÆ, *qualitas moralis*



*activa,*

(b) *Cap. 21.* Erſd. B. Stl. (c) *lib. 1. Tit. 10. art. 6.* (d) *Jurisp. for. part. 3. const. 17. defin. 16.* (e) *ad Jus Lub. loc. cit.* (f) *in prin. ad rub. ff. de verb. sign.* (g) *l. 202. ff. de reg. jur.* (h) *Symb. 55. p. m. 437.* (i) *in fin. præf. de I. N. & G.* (k) *axiom. lib. IV. Cap. 39. axiom. 3.*

*activa, legitima, constituendi rerum dominia.* Superius §. 2. innotuit; *Jus* hic nobis idem esse, ac si dicerem, *Potestas mihi competit, certum actum exercendi à cujus exercitio, nemo me impendire debet*: Hæc ipsa *potestas* ex donatione divina homini orta, in actu adquirendi, *Jus ipsum*, quo dominium adquirere valeo, indicat; *consequenter* vero ad illum, actualem magis *juris quæsiti* præsentiam in objecto, cum effectu morali ad alios, sistit: Unde aliud est ipsa *concessio divina*, aliud *Jus homini exinde ortum.* Illa securum saltem reddit hominem in ordine *ad Deum*, non esse contra ipsius summi concedentis voluntatem, si dominium introducatur; hoc legitimam potestatem in ordine *ad alios*, ad dominium constituendum, & res, privativè ad alterum, occupandum, dat. Genus etiam tamquam magis notum in data descriptione adposuimus proximum, nempe *Qualitatem*, per quam non respicimus ipsum *Juris adquisiti effectum*, resultantem adversus alios, cui in ipsis respondet *Obligatio*, ne rem dominio alterius subjectam, invito domino, contrectent; Sed *Qualitatem* moraliter eum afficientem cui inhæret; ita, ut ex dictamine rationis rectæ, certus esse queat, talem actum illæsa conscientia à se exerceri posse. *Moralem* adpello, quia, moralis aliqua qualitas circa res constituitur inq; ipsis terminatur, quæ tamen *formaliter* ac *subjective* dominis inhæret. Res enim in se & sua natura consideratæ indifferenter se habent ad Dominium subeundum vel non, nulla penitus exinde promanante mutatione physica, eo ipso, quo talem denominationem extrinsecam moralem ex arbitraria impositione consequuntur. *Activam* voco, quatenus libertatem extendit, & in alios effectus morales producere apta sit; ad oppositionem qualitatis moralis *passivæ*, quæ libertatem coarctat, quod facit *Obligatio*. Additur quoq; *legitima*, quæ vox differentiam à cunctis ejusmodi adquisitionibus, legibus contrariantibus ac modo illegitimo quæ fiunt, infert: præcipue autem eam ob causam sic nominamus, quatenus à Jure Gentium vel Civili confirmatur ac stabilitur; quod tamen non negativè ac exclu-

*exclusive* intelligendum velim; Quasi jus naturæ in se esset insufficiens ad obligationem in altero producendam, sed *positive* & hoc ipsum includendo; postquam enim hominum malitia ac impetus reluctantium affectuum, sæpis detrectaret, vel suum cuiq; tribuere, vel actus alterius non impedire, trahendo ad se quicquid utile videbatur, necessum utiq; erat, idem vel per leges quasdam positivas de novo quasi promulgari, ac renovari: Vel quæ adhuc à jure naturæ non *immediate* determinata fuere, determinata reddere; ad cujus deinde normam, metu alicujus mali ac molesti contranitentibus alias subeundi, actiones præcipue exteriores essent conformandæ. Differentia verò specifica oppositè ad *Adquisitionem derivativam*, verbo *Constituendi* implicitè continetur. Quo dilucide satis constat, quid sibi velit vocabulum *Originariæ*, scilicet nos pro ratione instituti contentos esse debere, in altera saltem Adquisitionis specie perstringenda; Qua *Dominium vel ab initio vel de novo rei introducatur.* Et licet *Rei adpellatione & causæ & jura contineantur*, (*l*) præcipuus tamen hac vice noster labor occupatus erit circa *Res physicas* seu substantias corporeas, quas non *physice*, seu quatenus sint corpora, sed *Juridice*, seu quatenus circa easdem jus aliquod occupari queat, considerabimus. Effectus sese per verba prodit sequentia, *Constituendi rerum dominia*: ultimoq; loco prodit *Dominium*, quod primum quidem in actu adquirendi ratione intentionis concipitur, ultimum tamen ratione executionis existit. Sic non solum *primario* in fieri seu quatenus adquirendum, sed etiam *Secundario* in facto esse, seu quatenus adquisitum, evolvendum venit. Quo sensu posteriori, totam in se de rebus legitime disponendi facultatem, Jusq; omnes alios excludendi, earundemq; usu absq; nostro consensu prohibendi, includit: & nihil aliud est, quam *Jus quoddam in re, mediante quo res propria est.* (m) conf. Eckolt. (n) & Timæ.

Fab.

(*l*) *l. 23. ff. de verb. sign.* Brisson. *in voc. Res. de verb. signif.* (*m*) *arg. l. 52. §. 10. ff. pro socio. l. 13. in pr. ff. de acq. rer. dom.* (*n*) *in Tit. ff. de rei vind. §. 1. Item in Tit. ff. de acq. rer. dom. §. 2.*

FAB. (o) Accepto vocabulo *Dominii* non ſolum *ſtrictè*, prout ſubjectum eſt individuum quoddam phyſicum, & dicitur alias *Dominium privatum*, ſed etiam *latè* prout pluribus commune, quod à nonnullis *Dominium commune* ſeu *Communio poſitiva* adpellatur. Non enim eſt de eſſentia *Effectus juris adquiſiti*, ſcilicet excludere alios à re adquiſita jure poſſe, ut ſubjectum Juris ſit individuum quoddam phyſicum ſed ſufficit ſi ita ſit moraliter: ita tamen, ut *Verè alii ipſo actu ſint à re excluſi.* Quia, numerus utentium diverſum heic juris effectum non parit. Adeoq; formalis ratio dominii conſiſtit in *proprietate;* (p) vid MÜLLER. (q) eſt auten hæc, *quando alicujus rei velut ſubſtantia, ita ad aliquem pertinet, ut eodem modo in ſolidum non pertineat ad alterum.* (r) Tali modo explicatione tam nominis quam Rei rudi adumbrata calamo; methodo tractandi ulterius inhærendo, fonti ac origini ipſius Dominii inquirendæ, opera noſtra proxime dicata erit.

§. V. Nemini vix cui modo ex meliori luto finxerit præcordia titan, prorſus latere reputamus, quin D. T. O. M. pro ſummo omnium creatore rerum, ut aliarum ita infra nobilitatem conditionis humanæ poſitarum, agnoſcere teneatur ac venerari; illumq; has non propter ſe ipſas, ſed hominem, ut neceſſitati ejus ſubvenirent, creaſſe; (s) ita tamen, ut nec cuiquam mortalium Juris quid in easdem eo invito prætendere ſalvum foret relictum. Adeo, intuitu Dei, non *Juris* ſed nomen meri beneficii divini, homini conceſſa facultas in res, mereri, nobis perſvaſum maximè ſit. Quæ tamen conceſſio numinis per naturam *quadantenus*, reliqvumq; expreſſe per revelationem, nobis innoteſcere poteſt. Præcidendo à lumine revelato ſic incipit ratio: „Si Deus ex liberrima ſua voluntate ita me formaverit, ut vitam tamquam donum ab ipſo conceſſam, aliter ſervare nequeam, quam cum uſu ac conſumptione rerum reliquarum, infra longe dignitatem meæ naturæ poſitarum, naturalemq;

(o) *diſp. 12. theſ. 1. Lit. B.* (p) *l. 69. l. 70. §. 1. ff. de uſufr. l. 7. C. de quæſt.* (q) *Jurisp. elem. diſp. 10. lit. D.* (r) *l. 5. §. fin. ff. commodat. l. 3. §. 5. ff. de acq. poſſ.* (s) *arg. l. 28. in fin. ff. de uſur. Conf. l. 2. ff. de ſtatu hom.*

ralemq; mihi indiderit inſtinctum easdem adpetendi, ſequitur exinde, nec eidem diſplicere, ſi hanc meam potentiam naturalem, in exercitium eatenus deducam, quatenus huic ſatisfaciendo fini ſit neceſſum; Nam, *quod nulla lege eſt prohibitum, quare pro re licita non haberi debeat, nulla ſubeſt ratio.* (t) vid. VULTEJ. (u) & THOMAS. (x) Quin & potentia mea naturalis adprehendendi & conſumendi res, tamdiu pro indifferenti eſt habenda, donec à lege reſtrictio addatur ac limitatio. Nec Deo ullam hoc modo injuriam fieri poſſe exiſtimo, cum ipſe talis ſtatus ac conditionis meæ, ſit auctor; voluit ergo ut homo eſſem, hoc eſt, ut tantiſper combinatione ſpiritus & corporis conſtarem, eo ipſo nec potuit non velle ſubſidia ipſa, combinationem ejusmodi promoventia. Alias enim idem vellet, & non vellet; vellet ut viverem; nolendo ſubſidia, vitam conſervantia, ut viverem nollet; Quod enti repugnat ſimpliciſſimo. At dicis: Hominem non ſolum iis, quæ ad neceſſitatem, ſed multis etiam ad commodioris vitæ ordinem, ſtatumq; delicatiorem facientibus uti, unde ergo iſta facultas? annon plus quam par eſt adpetit? ſit tamdiu: redeamus ad paulo ſuperius adlata. *Aliquatenus* enim ex ratione ſibi relicta hæc demonſtrari poſſe, dixi; maneamus una & revelationem in ſubſidium revocemus, (pace tamen eorum quorum intereſt) & aufugiet dubium. Dixit Deus; *Subjicite terram, dominamini piſcibus maris & volatilibus cæli.* (y) *Timoré, veſter ſit ſuper animalia cuncta.* (z) Imo benigniſſimam hanc ſuam conceſſionem ipſo declaravit facto; *Adducendo ad Adamum cuncta animalia;* (a) *ſecureq; adſociando ſubjiciendoq; Noha in arca, terreſtrium ac volatilium animalium ſpecies.* (b) Hinc S. exclamat codex: *Qui ſibi ſuisq; non proſpicit pejor eſt Ethnico.* (c)

§. VI. Facultatem verò iſtam ex conceſſione divina homini

B

(t) *l. 1. §. 1. ff. de teſt. l. 43. §. 1 ff. de procur.* (u) *de judic. lib. 1. Cap. 4. n. 85.* (x) *Jurisp. Divin. lib. 2. Cap. 9. §. 7.* (y) GENES. *1. v. 26.* (z) GENES. *9. v. 2.* (a) GENES. *2. v. 19.* (b) GENES *7. v. 8. 9.* (c) *1. Tim. 5. v. 8.*

mini competentem amplius intuendo, videamus quonam respectu, naturam ac qualitatem *Juris* sortiri queat; fiat idcirco vel in ordine ad *Creatorem*, vel ad *Res*, vel ad *Homines alios*. Nam si te concipias ut unicum, *Jus* dici nequeat, quia, *Extra socialitatem non est Jus*. THOMAS (*d*) Neq; illud absurdum, cum hoc sit *Relatio*. Societas autem non est, nisi sint plures. Quod ad primum adtinet conceptum, *Facultas* ista nomen *Juris* non meretur; quia, respectu hujus, homini nullum *Jus* competit: ratio, quod in Deo sic responderet *obligatio* ad præstandum vel admittendum, tamquam *correlatum*, quo posito uno, necesse est poni alterum. In Deum autem nulla *obligatio* cadit; cum hæc tales causas præsupponat, quæ aliquem intrinsece ita afficiunt, ut proprio rationis dictamine, quis judicare queat, non recte adeoq; non jure sese resistere. *conf.* PUFEND. (*e*) Talem autem obligationem Deo cum homine communem ex eodem velle deducere fundamento, merum esset commentum: *Deus enim*, ut ait idem, *propter essentiæ suæ perfectionem non aliter potest agere; homo autem propter incumbens sibi Dei imperium non debet aliter agere.* (*f*) Quamvis verò in omni Societate est Jus, Deumq; inter & hominem sit analogica quædam Societas, quæ propter diversitatem essentiæ personarum *Inæqualis* dicitur: meminisse tamen oportet, quod in Societate tali, non est *Jus mutuum* ac in cæteris omnibus, sed saltem penes superiorem. THOMAS. (*g*) Præterea quoq; dicitur *Obligatio vinculum legis, quo necessitate ad aliquid adstringimur*; (*h*) lex vero non est nisi ab imperante ac superiore: Deus autem seipso non est superior, cum semper sibi similis. Quo satis dispalescit figmentum Scholasticorum, *legem aliquam æternam Dei statuentium*. Adde, quod nulla lex rite intelligi possit, nisi ad minimũ inter duos, hoc est: inter legislatorem & eum cui lex fertur. Deus autẽ idem ac diversus in se non est. Hinc effatum Jctorum: *Nemi*

(*d*) *Jurisp. divin. lib. 1. Cap. 1. §. 100. Cap. 6. §. 10.* (*e*) *de J. N. & G. lib. 1* (*f*) *vid. Eris Scand. p. m. 241. §. 93. 101. & 102.* (*g*) *Jurisp. divin. lib. 1* (*h*) *Instit. tit. de Oblig. §. 1.*

*sibi*

*sibi imperare, nec se prohibere potest.* (*i*) Neq; huc quadrat alter iste conceptus in ordine scilicet ad *Res creatas seu animalia*, cum totalis ac omnimoda prorsus inter eos est Juris negatio, legisq; omnis non communio. Destituuntur enim 1. *Ratione*, mediante qua, præceptum percipere queant. 2. *Morali libertate agendi*, qua jussum exsequi possint. Quid enim hæc aliud est? quam facultas intrinseca agendi aut omittendi, quod quis ipse judicaverit; actus autem dijudicandi præsupponit rationem; & *libertas agendi*, inquit RACHELIUS, *necessario cohæret cum ratione, qua cum bruta prædita non sint, cujuslibet juris, & cum primis naturalis capacitate destituuntur.* (*k*) Neq; 3. Internecio brutorum nomine injuriæ venire potest; sive in ordine ad ipsa, quia, homo reliquis creaturis non obligatur, cum illis nullum sit Jus in hominem: sive in ordine ad Deum, quia, Deus status juris omnis expertis inter hominem & bruta auctor est; *conf.* PUFEND. (*l*) & THOMAS. (*m*) In quos ergo nulla cadit injuria, nec ullum competit Jus; quia, Injuria est juris alieni violatio: & exinde dicitur quod *Non Jure* (*n*) fiat. Hinc Jctus aperte negat Injuriam ipsis imputari: Quare dicuntur non *Injuriam*, sed *Pauperiem* facere posse. (*o*) Imo denegant brutis omnem nobiscum Juris communionem, CUJACIUS, (*p*) CORASIUS, (*q*) GROTIUS, (*r*) SELDENUS, (*s*) PUFENDORFIUS, (*t*) OSIANDER, (*u*) RACHELIUS, (*w*) HORNEJUS, (*x*) aliiq;, neq; dissentientium ex argumentis quicquam firmi concludi potest. Cui vero eadem videre adlubet, præter auctores jamjam citatos MÆSTERTIUM (*y*) adire possit; qui magis ingenii crederem exercendi gratia, quam



serio

(*i*) *l. 51. ff. de recept. qui arbit. l. 40. §. ult. ff. de fideicom. libert. l. 7. §. 8. ff. de donat. int. vir. & uxor.* (*k*) *De J. N. & G. Diss. 1. Thes. 39.* (*l*) *J. N. & G. lib. 4. Cap. 4. §. 6.* (*m*) *Jurisp. divin. lib. 2. Cap. 9. §. 19. 22.* (*n*) *l. 1. ff. de injur.* (*o*) *l. 1. §. 3. ff. si quad. paup. fecis. dic.* (*p*) *ad Instit. §. 1. De J. N. & G.* (*q*) *Misc. jur. civ. lib. 6. Cap. 25.* (*r*) *lib. 1. Cap. 1. §. 11.* (*s*) *de J. N. & G. l. 1. Cap. 5.* (*t*) *de J. N. & G. lib. 2. Cap. 3. §. 3. ejusd. Eris Scand. p. m. 233.* (*u*) *ad* GROT. *loc. cit.* (*w*) *in proleg. ad off.* CICER. (*x*) *Ethic. lib. 4. Cap. 3. §. 22.* (*y*) *De just. leg. Rom. dub. 7.*

serio ut rem ageret, rationes etiam à parte nostra facientes evertere conatur. Quid vero præstiterit, judicium penes sapientes esto.

§. VII. Demum relinquitur, facultatem istam, solum induere naturam *Juris*, in ordine ad *Homines alios*: Quod, quo fiat modo, paulo altius insurgendum nobis incumbit. Quapropter inprimis inquirendum venit: *An concessio ista divina, protoplastis in res hujus inferioris, cum hoc fuerit effectu, ut jus haberent, postquam plures extitere homines, eosdem ab omnium rerum usu, absq; suo consensu arcere; adeo, ut donatio ista facta fuerit, velut unico individuo morali, omnesq; deinde posteri, huic tamquam in acceptis dominii sua referre debuere?* Quod, ob requisita ista, quæ inferius Cap. II. §. 1. ad dominium per *Occupationem* constituendum, sunt necessaria, negamus. Absit tamen à nobis tanta væcordia mentis, ut detrahamus primis nostris parentibus potestatem legitimam, de rebus hujus inferioris, priusquam & postquam plures extitere, pro possibilitate disponendi, utendi, ac consumendi. Quin fingamus dari Præ-Adamitas: sane, Jus ipsis competierit, eosdem ab universo hoc terrarum orbe excludendi, ac ad orcum usq; expellendi: sed hoc saltem intendimus, *Dominium* (accepto termino in sensu juridico) universale totius terræ eosdem non habuisse; quod tali demonstratum cupimus modo: Quibuscunq; Deus dixit, crescite, multiplicamini, & replete terrã, eisdem quoq; dixit, dominamini piscibus maris, volatilibus cæli, timorq; vester sit super animalia cuncta; jam certò certius patet, Deum prius illud dixisse protoplastis nostris, *non ut unico hominum pari, sed ut totum genus humanum repræsentantibus*: vid. Wirsius. (z) quia, unicum par hominum, ut unicum, totam replere terram non potuit, nisi respectus fieret ad postea nascituros; sequitur ergo Deum T. O. M. eodem respectu Dominium (sumpto vocabulo improprie, sensu communi ac vulgari) eisdem addixisse. Nec enim crederem nimium me errasse errorem; si etiam ex natura, conarer jus posterorum in res creatas, citra quoq; consensum parentũ demonstrare: *naturali enim æquitati consonum est, cum sequi commoda, quem sequuntur incommoda*; (a) Si autem, posteri facti sunt participes justissimæ pœnæ divinæ, quod supponimus, nec iniquum fuerit, si etiam participes istius juris, tamquam commodi, redderentur. Mallem idcirco ad planiorem intellectum hujus termini *Dominii*, qui mirum in modum ingenia quorundam torserit, dum statuere, *Dominium commune* ac *privatum* in Adamo concurrere potuisse, mallem inquam, album dicere album, quam facultatem istam protoplastorum, *Dominium indefinitum*, *non formaliter sed concessive*, *non actu sed potentia*: quocunq; enim fiat respectu, terminum tamen istum improprie adhiberi constat. Qui verò improprie dicit is nihil dicit. Nec necessum insuper est, totam terram istis adscribere velle, cum post status sui mutationem, impossibile fuerit, eosdem posse alios dein' omnes ab ejusdem usu absq; suo consensu arcere. Imo etiam, quomodo domini earum rerum dici potuerunt, quarum notitiam ne quidem habuere? *In moralibus autem non esse & nullum habere effectum idem fere sunt.* Pufend. (b) Et juxta leg. Rom. *Idem est non esse & non apparere.* (c) Barbosa. (d) Divisionem Adami factam inter liberos, sacris silentibus pandectis, minus etiam probabilem judico; nec verosimile videtur, eos privatum aliquod dominium seu peculium habuisse, nisi tum demum, ubi relicta familia patris, propriam constituere: siquidem in tenella sua ætate nihilominus à parentibus alerentur; sicq; deinde in *Rerum Occupatione* à nutu parentum dependerent, hoc itidem nec fuisse *vi Dominii universalis*, sed *vi obsequii ac obedientiæ filialis*. Post diluvium autem, Noachum inter liberos, terram ac gentes distribuisse, multi autumant; (e) quorum tamen rationes tanti mihi non videntur momen-

(z) *Oeconom. fœder. Dei cum hom. lib. 1. Cap. 2. §. 14.*



(a) *l. 10. ff. de reg. jur.* (b) *de J. N. & G. lib. 1. Cap. 7. §. 13.* (c) *l. 30. ff. de test. tut. l. 16. §. 3. eod. tit. conf. l. 31. ff. de manum. testam.* (d) *Axiom. lib. 1. Cap. 71. axiom. 1.* (e) *Sic* Osiand. *in* Grot. *lib. 2. Cap. 2. Thes. 2. observat. 1.*

momenti, ut in partes suas quemquam veritatis amantem allicere possint. Quin & hoc ab ipsis solvendum averem: quomodo Noachus potuerit certas gentes liberis suis adsignare, cum nulli præter eos post inundationem terræ extitere? Caveant ergo ne evitando charybdim incidant in Scyllam; aliisq; plurimis absurdis patrocinium porrigant. Ut vero ex *Jure* isto *indefinito*, nec ad *Dominium privatum*, nec ad *Communionem positivam*, præcepto aliquo speciali divino restrictum *Jus definitum* ac *determinatum* existeret, *Facto* utiq; *humano* adhuc opus erat. Hinc denuo difficilima oritur quæstio: *An talis status in rerum natura extiterit, in quo vigente rerum omnium communione, nullus simpliciter dicere potuisset, ante omne pactum humanum*, hoc meum est, hoc tuum, *sed in universum omne dominium penitus exulaverit?* Hoc utiq; tamquam indubium adfirmare videtur Thales ille Belgicus, HUGO GROTIUS, dum illi in hæc ipsa prorumpere placuerit: *Deum generi humano generaliter contulisse jus in res hujus inferioris naturæ, statim à mundo condito, atq; iterum mundo post diluvium reparato.* (f) Ejusmodi autem *communionem* ut mxime impossibilem conatur adstruere, BOECLERUS *in comment. ad* GROT. STRAUCHIUS, ZIEGLERUS, FELDENUS & alii. Sed nimium hoc in negotio desudandum non esse putat PUFEND. (g) qui adeoq; confestim distingvit, inter *Communionem positivam* ac *negativam*: Illam talem esse dicit; qua res ad plures eodem modo pertinent, & fructus in unum conferuntur, indeq; quasi de communi massa distribuuntur. Ejusmodi autem *communionem*, vel Jure naturæ præceptam, vel à Deo lege positiva institutam fuisse, postquam homines in plures familias separatas discessere, à qua deinde sua sponte sunt digressi, eò haudquaquam se induci patitur; Cui opinioni ut rectæ rationi maximè consonæ, & nos plane subscribimus Hanc vero vocat, antequam ullum factum humanum extiterit, quo res istæ & non aliæ, particulariter ad hunc magis

(f) *De J. B. & P. lib 2. Cap. 2. §. 2.* (g) *De J. N. & G. lib. 4. Cap. 4. §. 2. & seqq.*

magis quam ad alterum pertinere declarentur; eodemque sensu res in medio expositæ dicuntur, hoc est, quod nondum definite, ac certæ cuidam personæ dominium alicujus rei adsignatum fuerit, nec ullus forsan ex rebus homini universe attributis, aliquid occuparit, non tamen quod repugnaret easdem certo cuidam adsignari posse: Et hoc modo posteriori adfirmat *communionem* quandam *primævam* extitisse. Nobis heic nonnulla præmittenda antequam, super altero hoc momento, mentem aperiamus nostram, haud minus è re esse arbitramur, quo tutius faciliusq; noster in posterum progressus instituatur. *Communio positiva* ac *Dominum privatum*, ut planius concipiantur, tenendum, quod vocibus saltem & quo ad diversum considerandi modum, ac non re ipsa, differentiam inferant; &, quod res dominio privato subjecta ad unam personam, Communis vero ad plures eodem modo spectat; ut supra §. IV. dictum: vel clarius; *Communio* & *Dominium*, non quo ad *vim & effectum dominii*, sed quo ad *pertinentiæ* duntaxat *terminum* differunt. Quicquid ergo juris uni in re propria, idem etiam pluribus in re pro indiviso communi competit: quia, *plures unius vicem sustinent, ejusdemq; omnino juris censentur.* (h) BARBOSA. (i) Et veluti dominium, aliorum jus in eadem re, modo eodem, invito domino respuit; ita quoq; à rebus communibus, omnes reliqui excluduntur, qui extra istam communionem sunt, cui res dicuntur communes. E. g. Duos hæredes Titii inter se ut singulos conferas, & erit hæreditas eorum communis; conferas itidem conjunctim ad alios non hæredes, & erit hæreditas ipsorum propria. Vim autem *Communionis negativæ*, ad mentem GROTII & PUFEND. ita me recte concepturum existimo; *Quod singuli ex ista communione, possunt privative ad reliquos, fructus præcipuè rerum, ex tacita conventione, sibi adpropriare, ac in privatum usum citra injuriam reliquorum convertere, talemq; usum rerum universalem, utcunq; supplere vicem proprietatis, & quidem cum hoc effectu, ut primo arripienti alius absq; injuria eripere*

(h) *arg. l. 10. ff. de pact.* (i) *Axiom. lib. 3. Cap. 44. axiom. 2.*

*ripere non posset.* Secus vero res sese habet in *Communione positiva*, ubi singulis non competit jus aliquid occupare, privative ad totam communitatem, antequam ex justo distributivo, inter singulos divisio instituatur. Quapropter ex opinione eorum, quos modo nominavi, sequitur: *Dominium immediate ad pactum vel expressum, nempe Divisionem, vel tacitum, Occupationem puta, originarie, tamquam ad fundamentum, esse referendum.* vid. GROT. & PUFEND. loc. cit.

§. VIII. Pace tamen summorum virorum, absq; dubio adfirmare haud veremur: 1. Necessariũ non esse, *pactum* aliquod *tacitum* comminisci ad quod *Dominium originariè*, tamquam fundamentum, sit referendum. 2. Dominium per *Divisionem*, tamquam *pactum expressum*, *originarie* adquiri posse, impossibile demonstrabimus 3. *Communionem negativam* velut ex *Instituto humano* fuisse, ut innuere videtur explicatio PUFEND. (k) supermentem GROTII facta, nec itidem admitti. Rem proinde à capite, ut dicitur, repetendo, initium *status merè naturalis* faciat; revocando simul in memoriam, à nobis monstratum fuisse, *Facultatem istam in res non induere naturam juris, nisi in ordine solum ad homines alios.* Ut vero curiosa magis quam necessaria est quæstio: *Num, si in statu mere naturali ac instituto permansissent Protoplasti, nihilominus dominia instituerentur?* Sic nullæ nosmet adigunt rationes prægnantes, quare in hoc consentire necessum. Labor enim inter molestias non esset; natura paucis contenta; terra facilis cultu; nullus invicem metus; exularet luxus; invidia nulla; nulla lis; inæqualitas nulla; imperium nullum. Et sane, *naturam hoc arguit destitutam in communione vivere non posse.* (l) Et tralatitium est: *amicorum omnia communia*; quo major autem tum speranda foret amicitia, eo magis etjam communio. vid. THOMAS. (m) Ast inquies: *tum etiam aliquis ordo sperandus foret?* Interim repono, *Ordo inæqualitatis seu imperii* nulla, *æqualitas* maxima. Imo, qui *imperium* aliquod eo in statu comminiscitur, quid *imperare* sit, quid *subjectum* esse, nescit. Quando vero ad statum adventitium transitum facimus: alia hic rerum facies, labor molestus; natura luxui dedita; invidia summa; voluntas injuriandi; desides aliorum labore abuti volentes; nihilq; ad pacem communem promovendam convenientius, quam ut dominia introducerentur. Quantum itaq; ad adlertionis nostræ, in hujus §. principio adlatæ, probationem, sciendum: Omnem potestatem in res creatas ex concessione divina profluxisse; quæ tamen res cunctas in ordine *ad homines invicem*, in tali statu non constituerat, ut *quilibet positive Jus haberet in qualibet re*, quodq; talem *effectum*, ac fictum illud *Jus omnium in omnia* Hobbesianum, (n) produceret: Sed quantum ad ipsum Deum, ipso quidem actu non defuniverit, quid huic vel illi speciatim esset adsignandum; Non tamen quod repugnaret easdem certo certisq; adpropriari posse. Imo, voluntatem Dei sanctissimam, antecedenter etiam ad quodvis factum humanum, rerum distinctionem intendisse quadantenus patet; si enim placuerit ipsi, certe adprobaverit *actum* jam *introductum*, non potuit non ipsi antea placere; cum semper sibi similis: licet *exercitium* istiusmodi *actus, hic & nunc*, penes arbitrium reliquerit hominum, utq; ipsi super eo disponerent, prout tranquillitas ac pax communis postularet. Quæ contraria non sunt. Talem autem actum, Deum non solum permisisse, sed etiam adprobasse, satis clare præceptum, de *furto non faciendo*, ostendit. Voluntatem dico, in tantum se anterius facto quovis humano habuisse, in quantum lex illa fundamentalis, de *Custodienda Socialitate*, præcepit; hoc est, *Facea, quæ necessario conveniunt cum vita hominis sociali, & quæ eidem repugnant, omitte.* THOMAS. (o) Non enim exstat præceptum aliquod divinõ-positivum aut Naturale, quo res ita hominum jubentur Dominium subire, ut *Singulis* sua quæq; pars *divisim* sit constituenda. Præcidendo itaq; paululum à lege modo citata;

(k) *lib. 4. Cap. 4. §. 9. conf. §. 1. ibid.* (l) *l. 77. §. 20. ff. de leg. & fideicom. II. l. 2. C. quand. & quib. quart. pars.* (m) *Jurisp. divin. lib. 2. Cap. 9. §. 71. & seqq.*

(n) *de Civ. Cap. 1. §. 10.* (o) *Jurisp. divin. lib. 1. Cap. IV. §. 64.*

tata; cuilibet ex conceſſione divina, *facultas ac naturalis libertas in quamlibet rem erat data*, quæ tamdiu pro *indifferenti* erat habenda, donec eadem coarctaretur lege; quo facto, vinculoq; quodam morali libertati naturali injecto; alia mox inſequitur: *Ne plus adpete quam par eſt.* Ut vero *obligatio* per priorem orta, nunquam non adfuerit, ob non abſentiam legis; ſic etjam libertas illa naturalis, illimitata ac moraliter libera nunquam fuit, propter obligationem iſtam per legem ſemper injunctam. Unde fluit, cum omnium naturalis facultas, ante *actum occupationis*, erat æqualis; neq; nos agnoſcere dominium ullum, niſi antegreſſo *Facto aliquo humano*; quia, *Natura privata nulla.* CICER. (p) Hujus evidentia ſatis clara: poſita conceſſione divina, licet nullius *jus quæſitum* præ altero, ob naturalem æqualitatem, obſtabat; quin ſtatim res occupare quisquis potuiſſet, in quantum ipſius neceſſitati ſufficeret; *Nam olus ſi adpeteret, violaret jus ſocietatis humanæ.* CICER. loc. cit. & RACHEL. (q) Recta tamen ratio, conſtituendi dominium, ſeſe omnino exſererе debuit per talem *actum*, nempe *occupationem*, hoc eſt: nemo recte dicere potuit, *hæc res mea, hæc tua*, quam tamen neuter *actu corporali, animo ſibi habendi, occupaverat.* Talem autem actum omnino requiri conſtat; quia, ſcire alii non poterant, quod quisq; ſuum eſſe vellet, à cujus deinde deſiderio, tanquam à re ab altero occupata, abſtinere deberent, niſi animus eorum tali actu exteriori ſeſe proderet. Non tamen ipſa *Vis dominii*, cui in altero reſponderet *obligatio*, ne rem occupatam, quoquo modo illegitimo contrectaret, ad illud *factum* tanquam *Pactum* aliquod *tacitum*, *Originarie* eſt referenda; adeo, ut non intercedente tali pacto, hoc eſt, conſenſu alterius, non occupanti, idem & æquale jus in re, ex conceſſione divina, eſſet; cum conſenſus ſive pactum, tum demum neceſſarium ſit, ſi *Occupatio* locum haberet, ubi res *poſitivè communes* eſſent; ut latius patebit infra §. XII. licet eo quoq; in caſu, convenientius naturæ fuiſſet, ad evitandas lites, *Diviſionem* adhibere.

Sana

(p) *de offic. lib. 1. Cap. 7.* (q) *ad eund. n. 5.*

Sana quippe ratio ſatis dictitat, ab eo omnimode abſtineri debere, quod alius æque ac ego, facultatem habuerit, pro ſua neceſſitate ſibi adpropriandi; ille vero operam ſuam locaverat in rei occupationem & ego non. Imo, inculcat hoc lex illa communis, de *Socialitate cuſtodienda.* Cui nec parum addit ſuffragii ſacrum illud effatum: *Comedas panem tuum in ſudore vultus tui.* (r) Si ergo in proprio vultus ſui ſudore, utiq; non alieno, quatenus alieno. Neq; tamen velimus *Occupationem* eſſe *conſtitutivam cauſam* dominii, quà illud *jus* eſt; quia, hoc legis eſt per occupationem. Breviter hæc noſtra eſto ſententia: *Dominium conſtituitur ex conceſſione divina, per occupationem tanquam modum, immediatione pacti; Visq; omnis dominii, cauſa immediata eſt lex de cuſtodienda ſocialitate: & dominium neceſſario concomitatur actualis rerum diſtinctio.* Fallunt itaq; Scholaſtici, imo in æternum falluntur, qui diſtinguunt inter *ipſum Dominium*, & *Dominiorum diſcretionem*, illud eſſe juris divini ac naturalis, hanc juris Gentium dicunt, vid. HUGO de ROY. (s) Cum ne recte quidem concipi queat *dominium* ſine *Dominii diſcretione*, quanquam hæc ab illo dependeat; quod tali demonſtratur exemplo; Si pes ſtet in pulvere, coexiſtit ſimul eodem momento veſtigium, licet hoc ab eo dependet. Cum ergo *Dominium* dico, ſtatim *alios actu* eſſe excluſos ſubindico, meumq; *Dominium* ab aliorum *Dominio* eſſe actu diſtinctum; alias terminum *Dominii* adhibere non potuiſſem; quia, eſt *illud quo res propria eſt.* (t) Propriam concipere nequeam, niſi ſit *actu* ab aliorum re diſtincta. Arguit propterea hoc ipſum, falſiſſimos eosdem ſibi de *Dominio* formaſſe conceptus, ab ignorantiam Jurisprudentiæ, quorum terminorum tractatio, genuina ac domeſtica ibidem eſt ſedes. Imo & ipſi, qui *Dominium* diviſere in *Actuale* ac *Potentiale*: exiſtimarunt enim *jus* illud, quo quis *Dominium* adquirere valet, *Dominium* proprie eſſe, quod erroneum, ut ſuperius §. IV. in prin. oſtenſum. Quia, quatenus *Res* conſiderantur *præciſè*, an-



(r) GENES. *Cap. 3. v. 19.* (s) *lib. 1. Tit. 5. §. 1. de eo quod juſtum eſt.* (t) *arg. l. 52. §. 10. ff. pro ſocio. l. 13. in pr. ff. de acq. rer. dom.*

te omne factum humanum, tale etiam Jus esse possit, non tamen statim *Dominium* quod tali Jure constituitur; cum forsan Jus ejusmodi mihi competens, actu adhuc non exercuerim; aliud ergo est *Jus*, aliud *exercitium Juris*. Nec *suspensio exercitii juris, tollit ipsum Jus*. Sicuti aliud est musicum esse potentia, & habitu Musices instructum non canere. vid. PUFEND. (u) Estq; dominium illud potentiale, quod sine calore ignis, quod absq; jure Jus!

§. IX. Cum autem vis tota & difficultas quæstionis, juxta Dd. quos citat CARPZOV. (x) præcipue consistere putetur in responsione ad contraria, iisq; solutis, confirmata conclusio reddatur clarior: paucis jam ad rationes, quæ contra hanc nostram adsertionem adferuntur, deveniendum. Excipiunt namq;, *Quod, posita æquali facultate primæva hominum in res, non possit intelligi, quomodo nudus actus corporalis, qualis est occupatio, cæterorum facultati præjudicare possit, nisi ipsorum consensus accedat, id est, nisi pactum interveniat?* PUFEND. (y) Quid huic reponendum ex superioribus adlatis facile colligi queat. Non enim *nudus actus corporalis* dominium parit; quia, factum qua tale non potest producere Jus; cum aliud sit *agere*, aliud *jure agere*; neq; accipit hoc *ultimatè* suam vim ex consensu aliorum, sed *immediate ex lege per occupationem*. Licet vero sufficiat circa objectum occupabile, sola *juris absentia* & *non Jus quæsitum* alterius; sola tamen *causa negativa*, qualis est absentia Juris alterius, *positivum effectum* edere nequit, nempe *Dominium*; debet ergo illud aliunde suppleri & *vim* suam consequi, quod ipsum, ut dixi, efficit *Lex*; quia, *hæc dandi dominii potestatem habet*. GROT. (z) Ratio, *quod major sit auctoritas legis quam hominis, homo enim legi subest*. GAIL. (a) Præterea, distinguendum omnino inter *Occupationem nudam*, & *quæ fit ex causa habili*: illa nil ad nos, hæc vero nudus ac merus actus corporalis non est. Non est *nudus*; quia, fit

(u) *De J. N. & G. lib. IV. Cap. IV. §. X.* (x) *in Vind. Theol. Luth. contra JCtos Dilling. Cap. 3. n. 2.* (y) *loc. cit. §. 5.* (z) *De J. B. & P. lib. 2. Cap. 8. §. 5.* (a) *lib. 2. Observ. 19. n. 5.*

fit ex *causa habili*, nempe *concessione divina*; nec est *merus*; quia, involvit etiam aliquid *morale*, nempe *animum sibi habendi*. *Vere* ergo *Occupatio* ponit Physicum quid, non *mere* ac *nude*. Atq; ne sic quidem *Occupatio*, quæ fit ex *causa habili*, quæ magis est *facti*, simpliciter parit *dominium* quod est *Juris*, sed *lex* per *occupationem*. Nec arbitror adcurate satis dici, *Præjudicium alteri fieri per occupationem*: prout τὸ *Præjudicium* opponitur *Emolumento*. (b) Quia, nullum *jus quæsitum* habuerit, quod rem immediate, absq; respectu alicujus personæ rem debentis afficeret, quo jure mediante, res ei, cujus jus adesset, redderetur obnoxia. Nec ideo de ulla injuria seu præjudicio justè conqueri potuerit. Injuria enim est juris alteris violatio ac privatio; ut verò *omnis privatio præsupponit habitum*. (c) vel, ut ait GOTHOFR. *Privato ejus est cujus est positio*. (d) Sic etiam violatio, illud jus quod violatur, supponit. Et, si alter *Jus* habeat ex concessione divina, ut possit occupare, quod nemo sanus negaverit, alter *Jus* ex eadem concessione habere nequit, ut possit impedire; quia, contradictionem involveret. Veluti eam ab causam, ante *actum Occupationis*, obligatus esset, ne impediret volentem occupare; sic etiam post obligatur, ne rem occupatam ipsi auferat. *Superflua ergo est obligatio, quæ obligat ad id, ad quod antea obligatus quis est*. HOBB. (e) Quocirca, qui heic velle vult, hoc est; consensum suum adhiberi postulat, patiatur necessum est, impune sperni, frustra à se conceptam voluntatem; quia sine jure vult: ratio, quod jus nullum sibi habuerit quæsitum. *Qui ergo velle non potest, nec potest nolle*. (f) Et, *ubi non adsistit juris potentia, voluntas est inanis & vacua*: secund. BAL. quem citat GOTHOFREDUS. (g) Præterea, si consensus non occupantis omninò concurrere deberet; fieret, aut necessitate *legis*, aut *facti proprii* occupantis? non illud, quia, lex non aliter adsistit non occupanti, nisi quatenus alter in occupando, modum excesserit, nimiumq; sibi adrogarit: neq; hoc, quia,

 nunquam

(b) *l. 2. C. de quib. res jud.* (c) *arg. l. 18. ff. de acq. hered.* (d) *ad l. 4. ff. eod. tit.* (e) *de Civ. Cap 14. §. 21.* (f) *arg. l. 4. ff. de reg. jur.* (g) *ad l. 4. ff. de acq. hered.*

nunquam promittendo se alteri devinxit; vel *expresse*, cum hoc supponimus: vel *tacite*, cum non ex voluntate non occupantis, sed per factum tertii, jus occupandi huic oritur: quæ ratio eundem ab omni nexu liberat. Instat ulterius: *Etiamsi posita concessione Dei, nihil reliqvum erat, quam ut homo res occuparet, tamen ut per occupationem & apprehensionem cæterorum Jus ad rem, exclusum intelligeretur, conventione utiq; opus erat?* (h) Verùm, cum vocat *Jus ad rem*, videtur hoc niti falsa hypothesi: scilicet ab *Instituto humano communionem negativam fuisse*; cujus tamen falsitatem demonstrabimus infra §. XI. Deinde aliud est dicere, *Hominem accepisse facultatem in quamlibet rem*, aliud *Jus positivum in qualibet re*: Illam cuilibet, adhibita priori limitatione, adserimus; hoc non item: quia est contradictorium. *Facultas enim moralis*, inquit GROTIUS, *ad contraria, puta ad agendum & ad impediendum, non datur per rei ipsius naturam.* (i) Illa etiam *libertas* est, omne autem *Jus* debet inferre respectum ad aliquod *vinculum morale*; quia, correlata sunt. Regerimus adhuc, posito hoc fundamento, *Res*, quatenus concipiantur in *statu communionis negativæ*, hoc est: *quovis facto humano non antegresso*, sua natura esse *Nullius*, quod necessario etiam Nob. PUFEND. concedit: (k) nec recte percipere valeo, quomodo alicujus *Jus quæsitum* in ordine ad alios adesse intelligatur? actu itaq; excludi vere dici nequit, quod non adest. Et si adesset, *Communio positiva* cum *Negativa* confunderetur; quia, hæc qua talis est *Non-Jus*, quod suo patebit loco. Nec obstat: *quod homini etiam in communione negativa viventi possit adesse Jus?* quia, alias actum occupationis exercere non posset: aliud tamen est, *ipsam communionem negativam esse Jus:* quia, sic *alicujus* esset; at non est: quia, est *Nullius*. Nolo præterea omnia ad vivum resecare: *Jus ad rem* nominat, quod, Jctis alias *obligatio* audit, *qua alter, ad aliquid dandum præstandumq; adstringitur.* (l) Undè iterum *Adquisitio originaria* ac *Derivativa* confunditur. Nam ubi *obligatione* quis ad rem

(h) PUFEND. *ibid.* §. 4. (i) *de J. B. & P. lib.* 2. *Cap.* 23. §. 13. (k) *loc. cit.* §. 2. (l) *l.* 3. *ff. in prin. de Oblig. & act. Instit. tit. in prin. de Oblig.*

rem præstandam aut dandam adstrictus est, non *Originarie* sed *Derivativè* res adquiritur; quia, alterius dominio subest. Nec movemur illis, quæ ulterius in contrarium deducuntur, negat enim, *Concessionem divinam esse immediatam causam dominii, prout illud effectum habet in ordine ad alios homines, cujus indicium est, quod bruta animalia, Deo utiq; volente, utantur rebus, easq; consumant, inter quæ tamen nullum Dominium, sed id omnino præsupponit factum humanum & pactum aliquod tacitum vel expressum?* (m) Neq; enim nos dicimus, *concessionem divinam esse immediatam causam dominii*, prout illud *effectum* habeat *in ordine ad alios*, sed causam istius *Juris*, quo quis *dominium* adquirere valet; attamen non sequitur, posito isto *Jure* ponitur *Dominium*; forsan enim quis adhuc *Jus* illud in *exercitium* non deduxerit per *occupationem*: & licet vel maxime hoc, ne tum statim sequitur, ergo *dominium privatum:* quia, possunt etiam res occupari & constitui in *Communione positiva*; quæ quidem *Jus quæsitum* est, at non *Dominium privatum* & *stricte* sic dictum. Diversa etiam est ratio hominis & brutorum, adeoq; male comparatio istius respectu instituitur. Illa enim solo naturæ instinctu agunt, homo autem prævio rationis usu. Nec propterea necessum est, brutis aliquod *dominium* adscribere, cum *Juris sint sua natura incapacia*; ut supra §. VI. ostensum. Neq; comparatio ultra suum tertium extendenda; cum *solius hominis proprium sit, in dominio habere.* (n) VINNIUS. (o) Quod vero *Dominium* præsupponat *factum humanum*, scilicet *occupationem*, cordate admodum statuitur; quod vero illa sit loco *pacti taciti originarie*, hoc ne unquam quidem concedimus. Exemplo res declaranda venit: Rex in actu corronationis suæ, in vulgus missilia spargi jubet, hac intentione, quod quisq; occupaverit, statim fiat ipsius *proprium*; hic tantisper missilia ista in *statu communionis negativæ* concipere liceat, simulq; omniũ naturalem facultatem, ad actum adprehensionis, æqualem; Si vero quis, quicquam privative ad reliquos sibi adpro-

(m) *ibid.* §. 4. (n) *arg. l.* 1. *ff. in prin. de acq. rer. dom.* (o) *ad Instit.* §. 11. *eod. tit.*

adpropriare vellet, anne opus esset, *pactum* aliquod *tacitum* aut consensum reliquorum fingere, ex quo demum *immediate jus* nasceretur *occupanti*, valiturum adversus ipsos? minime! sed sufficeret solum istius *actus* in ordine ad alios excludendos, & reliquorum *juris absentia* circa rem occupandam. Licet & hoc sequestratum velimus; Adquisitionem missilium, non *Originarie* sed *Derivative* fieri. Constat enim ea emitti animo gratificandi aliis, ideoq; idem Jus continuatur, & in adprehendentes transfertur. (p) Quibus accedat: Si *dominium immediate* ad aliquod *pactum* esset referendum, certe etiamnum hodie omne è civitatibus pacto contrario tolli potuisset; quia, *nihil tam naturale est, quam eo genere quicquid dissolvere, quo colligatum est, ideo verborum obligatio verbis tollitur, nudi consensus obligatio, contrario consensu dissolvitur:* inquit Ulpianus. (q) Tale autem pactum contrarium, vix ac ne vix quidem inuri posse, satis ostendit præceptum, de *furto non faciendo;* quo rerum divisio, prudentia summa & autoritate eminentissimi legis latoris, valedissime confirmata. Et absq; omni dubio, esset illud summa imis confundere, ordinem imperandi, & parendi subvertere, atq; ex sociali hominis natura, nescio quid horridum aliud efformare. Cum vero statuimus *Dominium immediate* oriri per *occupationem*; distingvendum bene, inter *immediationem absolutam & respectivam*: dico *immediate*, non respectu ad negationem omnis medii, sed respectu medii certi; hoc est, *Pacti*. Vel concisius dixeris: Oritur dominium non immediatione *facti* sed *pacti*. Obiicias? *Hoc dependere ab hominum mutua conventione, an velint res quasdam habere communes positive, vel communes dividere?* sic est; aliud tamen est *Res*, aliud *modus rei*. Licet enim, cum sub initio mundi homines coirent, à mutua eorundem conventione dependere potuerit, an quasdam vellent occupare communes, & an easdem occupatas dividere: *vis* tamen & *effectus*, ne quis quod uni aut pluribus esset adpropriatum, ipsis invitis invaderet, non ex ista conventione

(p) *Instit. §. 46. tit. cit.* (q) *l. 35. ff. de reg. jur. Conf. l. 100. l. 153. ff. eod. tit.*

tione tanquam fonte, *originarie* promanat, sed à longe alio validiori fundamento, ut hactenus dictum, deducendum est. Et insimul, si res communes essent dividendæ, non *novum jus* ortum, sed semel *per occupationem adquisitum*, inter eos divisum: aliud ideo est *Origo Juris*, aliud *Juris orti divisio*. Cur autem omnem *vim Dominii*, ex *pacto*, ultimatè deducere nec volui, nec debui; hanc rationem ut non vulgarem notandam velim: *Pacta per se nunquam obligare*. Quia, *pactum est consensus plurium*, (r) plures autem quà in idem actu consensêre, moraliter sunt *unum* (s) quid; implicat propterea pacisentes, unum quid ac idem esse, & seipsum obligare: alius enim semper est *obligans*, alius *obligatus*; hinc *aliunde*, hoc est, ab *extrinseco* aliquo *principio* arcessenda est *obligatio*: puta, proximè per legem, atq; ne sic quidem ultimate, sed à legislatore; quem apud, vis obligandi antecedenter ad omnem legem residet. Si enim quærerem, quare observanda pacta? ob legem naturalem hoc jubentem: quare ob legem? ob legislatorem, qui alias malum aliquod infligendi potestatem habet, si contravenirem ipsius jussui, & hic ultimatò subsistendum. Vix ergo eorum accedimus sententiæ; *lege demum lata aliquem hoc vel illo modo, ad actiones suas componendas obligari*, statuentium: hoc enim tanquam præcipuum ac singulare quoddam, circa legem deprehendimus; quod prius obligemur ad obediendum, postea vero quid agendum, determinetur. Impossibile enim est, parendi obligationem lege demum injungere: quia, nulla sic lex unquam ferri potuerit. Pari enim jure ac alter libertatem lege circumscribere vellet, pari quoq; jure & alter resistere potuisset, nisi antea ad obediendum esset obligatus. Semper ideo *jus imperandi*, antecedenter ad omnem legem concipi debet, cui juri necessario, *parendi obligatio*, in altero tanquam correlatum respondet. Procul tamen ea sit sententia, quasi post



(r) *l. 1. §. 2. ff. de pact. l. 3. ff. de pollicit.* (s) *arg. l. 22. ff. de fidejus. l. 4. §. 1. ff. quod metus caus. l. 2. §. 5. C. de jurejurand. propt. calumn. l. 7. §. 2. ff. quod cujusq; univers. nom.*

duorum pluriumvè consensum, nulla daretur obligatio: diversa enim sunt *Obligationem sequi pacta*, & *pacta per se obligare*. Negando enim posterius, illud affirmamus. Feci ergo hoc, ut eos ostenderem non rectè sentire, qui *omnem vim obligandi* ex *pactis* deducunt; quod facit, ni fallor, ipsemet HOBBIUS, adfirmans, *Injuriam non posse fieri alicui, nisi ei, quo cum pactum intercesserit.* (t) Item, *Injustitiam erga homines præsupponere leges humanas.* (u) Et GROTIUM labi asserentem; *Actus de quibus lex naturæ disponit etiam obligare, si poneretur nullum esse Deum.* (w) Et profecto, omnem *vim Dominii* derivare velle ex *pacto*, quid aliud esset, quam implicitè cum eodem HOBBIO adfirmare: *Injuriam non posse fieri nisi ei, quo cum pactum intercesserit.* Si enim pari jure, alius, rem occupatam absq; suo consensu, occupanti auferre posset; haberes certe bellum omnium in omnes. Hinc si non defendendus, aliquo saltem modo excusandus est HOBBIUS, *Jus omnium in omnia statuens.* *Jus* (ad mentem ipsius) *est libertas utendi facultatibus naturalibus secundum rectam rationem.* (x) *Recta ratio autem, non est facultas infallibilis, sed ratiocinandi actus; id est, ratiocinatio cujuscunq; propria.* (y) *Recta ratio judicat, ut quivis vitam ac membra sua, quantum potest tueatur.* (z) *Eidem ergo est jus omnibus uti mediis, ad eum finem, necessariis.* (a) *Quia, alias frustra haberet jus ad finem, si jus ad media necessaria ipsi denegaretur.* (b) *Media autem sunt, quæ ipse talia esse judicabit.* (c) quia, *ipse jure naturali judex est.* (d) *Quæcunq; autem quis voluerit, ideo bona sibi videri, quia, ea vult.* (e) Hinc ergo sequitur; *Naturaliter cuiq; esse jus in omnia.* (f) *Quoniam autem quisq; de re omni dicere potuerit*, hoc meum est, *frui tamen ea non poterat, propter vicinum, qui æquali jure & æquali vi prætendebat idem esse suum.* (g) *Hinc bellum omnium in omnes; faceret vero contra rationes pacis; hoc est, contra legem naturæ, si quis de jure suo in omnia non decederet.* (h) constituit propterea HOBBIUS legem

(t) *de Civ. Cap. 1. §. 4.* (u) *ibid. §. 10.* (w) *in proleg. ad lib. de J. B. & P.* (x) *de Civ. Cap. 1. §. 7.* (y) *Cap. 2. §. 1.* (z) *Cap. 1. §. 7.* (a) *ibid. §. 8.* (b) *eod. §.* (c) *ibid. §. 9.* (d) *ibid.* (e) *ibid. §. 10* (f) *ibid. in annot. ad §. 10.* (g) *§. 11. ibid.* (h) *Cap. 2. §. 3.*

legem naturæ specialem hanc: *Jus omnium in omnia non esse retinendum.* (i) Sed veluti ex principiis falsis, non possunt non falsa oriri consequentia; sic *fictum* illud *jus* facile per se ruit. Depravatæ naturæ impetus ejusmodi esse possunt, non dictata rectæ rationis. Neq; enim *recta ratio*, neq; *Jus* ad cujuslibet arbitrium flecti queat. *Ineptumq; esset*, dicente Nob. PUFEND. *eam facultatem, juris nomine insignire velle, quam exercere volentem, alii omnes pari jure impedire queant.* (k) Essetq; tale *Jus* non homine, sed bestia dignum. Homo enim, qui naturâ societatem adpetit, ordinis societatem adpetit; à qua licentiæ, ad ejusmodi motus inordinatos, via præcluditur. Et, quid opus erit, & cujus utilitatis, *Jus* tale fingere, cujus usus homini, si salvus esse vellet, necessario deserendus?

§. X. Altera positio erat: *Adquisitionem Originariam* per *Divisionem* tanquam *Pactum expressum* fieri minime posse; conf. §. VIII. sup. Verba sunt GROTII. *Originariam adquisitionem, olim cum genus humanum coiret, fieri potuisse etiam per divisionem, nunc per occupationem tantum.* (l) Quod quoq; Nob. PUFEND. agnoscit. (m) Ponamus tamen, partem aliquam terræ, penitus à *Dominio* vacuæ, inter integrum cætum ac societatem fuisse dividendam; necessarium omninò fuerit, ut imprimis ab isthac occuparetur, hoc est, ut ea mente corporaliter adprehenderetur, quod eandem sibi habere vellet: cum nihil, quod prius non sit occupatum, dividi possit; (n) nisi alii, pari jure volentibus dividere, ea, quæ adhuc sibi per occupationem non adpropriarunt, eripere potuissent: indeq; frustra ac inutilis eorum esset conatus, eò quod actum præteriere occupationis, nec ullus sequeretur effectus. Terrâ autem occupatâ, *Divisio* utiq; deinceps ab *occupatione* revera dependeret; cum verò, omne

D 2

(i) *ibid.* (k) *de J. N. & G. lib. 3. Cap. 5. §. 3.* (l) *de J. B. & P. lib. 2. Cap. 3. §. 1.* (m) *lib. 4. Cap. 6. §. 2.* (n) *arg. l. 41. vers. quoniam ff. si cert. pet. l. 4. §. 6. ff. de re jud. l. 2. ff. de usuf. l. 4. §. fin. ff. de act. empt. item* BART. & BAL. *citati* GOTHOFREDO *ibid. l. 1. ff. de hæred. vel act. vend.* BARBOSA. *lib. XII. Cap. 17. axiom. 2.*

mne dependens in esse, effectus audit illius, à quo dependet; ipso certe actu *Jus communionus positivæ* subierit, totiq; Societati tanquam *uni* (o) personæ morali, respectu aliorum non-sociorum, propria. Si autem postea, prævio consensu *singulorum*, dividenda esset; aut singulos inter ipsosmet primos occupantes, aut alios inter non-occupantes, fieret: si modo priori, non *novum* aliquod *Jus*, antea habitualiter non inhærens, *singulis* adquirebatur, sed *Jura singulorum*, veluti in unum corpus conflata, per *Divisionem* suum quodq; separatim adsignatum; semelq; cujusvis pars pro indiviso, per *occupationem* (non *Divisionem*) *originariè* adquisita; ac donec terra indivisa permaneret, non *negativè*, sed *positivè*, communis esset. Alias enim occupanti tertio cederet, quod absurdum! Si autem modo posteriori, utiq; non *Originarie*, sed *Derivative*, pars aliqua *singulis* adquireretur; neq; *Jus* aliquod iisdem proprium, respectu aliorum *pro indiviso* positive commune, per *Divisionem* adsignatum: sed *Jus quæsitum*, primorum occupantium, ante suum consensum illis non debitum, alienatum, eisq; adquisitum. Nec quicquam prosit ampliatio ZIEGLERI, (p) statuentis, *Etjamnum fieri posse per* divisionem, *quatenus sc. novæ possunt occupari terræ, & singulis eæ deinceps dividi per assignationem. Etsi autem divisio ista, ab occupatione prævia, dependere videretur; est tamen ea, saltem istorum singulorum & dominii privati respectu modus originarius.* Heic autem observandum: non solum *Adquisitionem originariam* dici, quando *Dominium* constituitur *privatum*; sed etiam si res occupentur & constituantur in *communione positiva*. Alias enim hoc sequeretur, etiam ab aliis iterum occupari posse, eam ob causam, quod in *nullius Dominio* esset *privato:* quod denuo absonum! Auctor ergo citatus hoc velle videtur; nempe, *hunc modum esse originarium, respectu singulorum:* quod nè sic quidem concedimus. Si namq; *singulos* ut nullum *jus quæsitum* pro *indiviso commune* habentes, sed solum qui potestatem dividendi, quicunq; is demum sit, habet; utiq; *consensum* ponit dividentis: qui tamen in *modo originario, naturali jure subnixo*, necessarius non est; sed sufficit alterius cujuscunq; circa *objectum occupabile, non-jus* seu *absentia Juris.* Accedat & hoc, si *modus originarius*, respectu *singulorum, esset;* non opus aliqua *Divisione* fuerit, sed à *singulis quibuscunq; pars occupari posset.* Quia, ad *Dominium originarie naturaliter* constituendum, sola *occupatio*, ex causa habili, ut sæpius supposuimus, sufficit; quæ in facto magis consistit: *Divisio* autem magis debet esse *juris* quam *facti.* Quin etiam hoc contradictionem involvit apertam: *Dominium occupatum in singulos transferri, & tamen originarie singulis adquiri?* Ubicunq; enim dominium transfertur, actu adest; quia, nihil transferri non possit. (q) Et ubicunq; *traditio* intervenerit & *acceptatio, adquisitio* fit *derivativè* & non *originarie.* Idcirco *Divisio*, ad *modos derivativos*, si adcurate heic progressus sit instituendus, est releganda.

§. XI. Unum adhuc, *De communione negativa* declaranda, restat. Æquo autem animo largiri haud possumus, istam velle, velut ex *Instituto* deducere *humano*, cum ea potius sit *Non-ens morale*, sed ab ipso *statu Rerum naturali*, absolvitur. Adeoq; nec aliter recte concipi debet, nisi quatenus *Res*, citra ullum *antegressum factum hominis, absolutè* considerentur; quo facto non antegresso, istæ saltem *dicuntur*, hoc est, *impositione locutionis*, non ad hunc magis, quam ad alium pertinere. Eodemq; sensu *Nullius* nominantur, modo quidem magis negativo quam privativo; hoc est, quod nondum definitè ac determinate certo cuidam subjecto, per *Occupationem* sint adpropriatæ; non tamen quod repugnaret easdem adpropriari posse. Constat autem *Nullius esse*, varie in legibus accipi: hic idem denotat; *Quod ne ullius quidem, cujuscunq; demum sit, Juri quæsito, est actu obnoxium.* conf. DONELL. (r) Qui ergo dicit, *Res esse in communione negativa:* Is nihil de *Rebus* adfirmat, id est, *nullam qualitatem moralem*,

(o) *arg. l. 22. ff. de fidejuss. l. 4. §. 1. ff. quod metus caus. l. 2. §. 5. C. de jure jurand. propt. calum. l. 7. §. 2. ff. quod cujusq; univers. nom.*
(p) *ad* GROT. *loc. cit.*



(q) *arg. leg. & auct. proximè sub lit. N. cit.* (r) *com. jur. civil. lib. 4. Cap. 7*

talem, per *extrinsecam denominationem, circa res ponit*; sed negat saltem *Jus* aliquod *quæsitum* circa easdem *actu* esse constitutum; cujus præsentia alias (loquor ad mentem Jur. ac Dd:) *Rem immediate* afficeret; id est, *sine respectu alicujus personæ rem debentis, Res ei cujus Jus adesset, redderetur obnoxia.* (s) vid. BARBOSA, (t) ECKOLT, (u) MULLER, (x) RACHEL. (y) Est ergo illa, *Non-Jus*, seu *absentia juris* alicujus *quæsiti*; & *moraliter, Non-ens*; quia, entia moralia *impositioni* originem debent; quâ remotâ tanquam causa, removeatur etiam necesse est, *moralis* aliqua *affectio*, adversus alios *effectum* producere apta, tanquam *Impositionis effectus*: cum hic absq; illa non datur. (z) BARBOSA. (a) Non itaq; negamus, vere dici posse; *Res esse negative communes*: veram tamen istius adsignamus causam, scilicet *Non-impositionem moralitatis*, seu *absentiam juris quæsiti*; ex *defectu*, vel potius *non exercitio actus occupationis*. Ut vero ista est non-ens, sic *communio* ista *negativa* habet *non-existentiam moralem*; & sic *non-Jus*. Ubi ergo *Res* in statu tali denominantur, nullam *denominationem extrinsecam moralem* sortiuntur, sed repræsentantur saltem menti, in *esse suo naturali*; quæ repræsentatio, nil ad moralitatem. Absit tamen ut per τὸ *esse naturale*, talem considerationem adhiberem, quæ propria esset tractationis physicæ; sed *statum Rerum naturalem* adpello, qui *ab omni imposita moralitate extrinseca præscindit, nec in statum aliquem adventitium adhuc pervenerit*. Hinc patet, de *Rebus*, quæ debuere permanere in *Communione negativa*, & *actu* manent: neq; *Dominium privatum*; neq; *Communionem positivam*; neq; *Usum* in sensu juridico prædicari posse. Non *illa*, quia nemo ab *usu communi* actu possit excludi. Nec *istud*, quia

s) *arg. l. 30. ff. de noxal. act. l. 19. in prin. ff. de damn. infect. l. 3. ff. in prin. de act. & oblig. l. 2. in prin. ff. de poll.* t) *axiom. lib. 3. Cap. 44. axiom. 1. & 2.* u) *ad ff. tit. de rer. divis. & qualit. §. 2.* x) *disp. XV. Jurisp. element. Thes. 1. lit. B.* y) *Jurisp. lib. 2. Tit. IV. Thes. 2.* z) *arg. l. 6. §. 2. ff. de jur. patron. l. 40. ff. de hæred. Instit. l. 52. §. 1. C. de Episc. & cleric. l. 6. C. de pact. int. empt. & vendit.* a) *axiom. lib. 3. Cap. XII. axiom. V.*

quia sunt *nullius*. Neq; *hic*, quia, *Res* non sunt *alterius* alicujus *proprietate*. (b) Dum vero HAHNIUS talem agnoscit statum communionis; *in quo fieri non potuerit, ut quis jure aliquo peculiari rem sibi haberet, sed saltem cum potestate utendi qua opus esset, sine tamen affectu retinendi*: (c) videat ipsemet, quo pacto se ab onere liberet probandi; cum hæc sit *quæstio facti*: quæ ad JCtum non pertinet; (d) *facta* autem *non præsumuntur nisi probentur*: ut juxta leg. (e) loqvuntur Dd: vid. JASON (f) ANT. FAB. (g) VITAL. de CAMBANIS. (h) GOTHOF. (i) DONELL. (k) CARPZOW. (l) BARBOSA. (m) NICOL. de PASSERIBUS. (n) RICHTER. (o) SALGADO de SOMOZA. (p) MASCARD. (q) BORCHOLTEN. (r) RACHEL. (s) Mihi igitur sufficiat, hactenus ostendisse; nullum fuisse impedimentum, quo minus, *Res affectu retinendi*, occupari potuerint: quod ipsum & satis erit, in decidendis iis, quæ nostrum spectant forum.

§. XII. Neq; ad declarandam *Vim Communionis negativæ*, velut ex *Instituto* introductæ, exemplum à Theatro deductum satis quadrare videtur. *Quod à civitate in medio expositum est civium usibus, ut tamen hic vel ille, tempore spectaculi, certum obtineat locum, quo ab altero non depelli debeat, actu corporali, id est, occupatione opus est*; *Imo & in perpetuum singuli cives, suum sibi locum possunt consen-*

b) *arg. Instit. Tit. de usu & habit.* c) *ad* WESENBEC. *parat. de acq. vel amit. possess. n. IIX.* d) *l. 79. §. 1. ff. de jud.* e) *l. 1. l. 23. l. 16. C. de probat. l. 12. §. 2. ff. de capt. & postlim. reversi. l. 2. l. 4. l. 5. l. 11. ff. de probat. l. 10. C. de non num. pecun. l. 9. C. de Collat.* f) *ad l. 31. ff. de jurejur. n. 4. item ad l. 9. C. de Collat. n. 1.* g) *decad. 19. error. 1. p. m. 659.* h) *Tractat. clausul. p. m. 320. n. 49.* i) *ad l. 10. C. de non num. pec.* k) *Com. jur. civil. lib. XVIII. Cap. XVII.* l) *Asyl. debit. Thes. 82. n. 81. & 101.* m) *axiom. lib. VI. Cap. VII. axiom. 27.* n) *Concil. leg. Rom. part. 1. Quæst. 7. Cap. 8. n. 10.* o) *Velit. Acad. IV. Thes. XIX.* p) *Labyrinth. Credit. Part. 2. Cap. 4. n. III.* q) *de Probat. Conclus. 5. n. 2. C. 31. n. 45. C. 343. n. 6. C. 733. n. 1. C. 756. n. 7. C. 1316. n. 1. C. 1359. n. 4.* r) *ad Instit. §. 9. de J. N. G. & C. n. 4.* s) *Instit. Jurisp. lib. 4. Cap. 17. Thes. 4.*

*consensu civitatis adquirere?* PUFEND. (t) Cuivis enim in propatulo est, *Theatrum revera* non esse *Nullius*, cum civitatis sit. *Res* autem penitus non occupatæ & vacuæ *revera nullius* sunt; quapropter hoc loco *Rei proprietas* & *usus* confunduntur. Theatrum enim ratione substantiæ reipsa civitatis est; licet *usus*, respectu civium, sit *negativè communis*; loco autem occupato, *usus* demum de loco rectè prædicatur: tum verò omne *Jus utendi*, præsupponit *Jus proprietatis*; cum quælibet res quæ *Jure usuario pertinet ad unum, ea Jure proprietatis pertinet ad alterum.* (u) Quod præterea dicitur; *quemq; sibi locum in perpetuum adquirere posse consensu civitatis?* Anne hoc *Originarie*, an *Derivativè* fieret, vel nemini ignotum esse queat; quia, locum tenenti, non *novum* aliquod *jus* constituitur, antea actu non existens: sed transfert *Jus suum* civitas in tenentem, atq; sic *idem Jus* continuatur. Neq; ideo jus est ipsi locum tenere, quod corporaliter adprehenderit, sed ideo jus ipsi est insistere, quoniam ex consensu civitatis fit. Hinc non tam *corporalis adprehensio*, jus ipsi parit, adversus tertium ne depellatur quam voluntas ac dispositio civitatis; cum civitas ita locum cujusvis esse voluerit, quem ipsemet quisq; occupaverit. Quapropter *patientia* (w) Civitatis, loco traditionis habetur: vid. BARBOSA. (x) quæ vero *traditione* interveniente adquiruntur, non *originariè* sed *derivativè* adquiruntur. (x) Et si vel maximè concesserim, quod tamen vix faciam; jus occupanti valiturum adversus tertium, ex *solo suo facto* nasci: utiq; illud jus, non ad *pactum* aliquod *tacitum*, tanquam fundamentum referri deberet; quasi scilicet inter *occupantem* & *tertium tacitè* conventum esset, ut hic alterum pateretur, locum occupare. Quia, non opus esset ipsius consensu, neq; tacito neq; expresso, siquidem *nullum Jus* sibi ante actum occupationis *quæsitum* habuerit: nec propterea de ulla injuria sibi illata conqueri posset; cum injuriæ illatio, præsupponat alterius *juris præsentiam*, vel si ita dicerem, adessentiam: quod hic minime dici possit. Nec facit ad rem, quod putant; *Vim communionis negativæ* tanquam ex *Instituto*, ulla absq; contradictione, à mediocriter subtilibus concipi posse: *Quercus*, dicunt, *erat nullius, quæ deciderant glandes, ejus fiebant, qui legisset?* PUFEND. (z) Sed si quærerem, quare legentis fierent? respondeant forsan, ob factum occupationis, tanquã *pactum tacitum*: si iterum instarem; quare ex facto occupationis? denuo audiendum: ob *pactum & conventionem tacitam.* Atq; sic tota hujus rei demonstratio in circulum devolveretur. Expresse enim fatentur: à *Communione negativa vel per pactum expressum, hoc est, divisionem, vel tacitum, hoc est, occupationem, res in proprietatem transisse.* (a) Unde secundum ipsos, *pacto*, tam in ipsa *Communione negativa*, quam si necessitas postularet, ut ab eadem recederetur, opus fuisse constat; Quod oppidò contradictionem involvit: Quia, constanter negamus in *communione negativa*, necessarium fuisse *pactum* aliquod *tacitum* antecedens, ad *Dominium constituendum*: Et solum vel exinde patet; Quod pactum nunquam locum habere potuerit; nisi res fuissent *positivè* communes, positâ tantisper hac hypothesi, si tum *occupatio* locum haberet: *Pactum enim duorum pluriumve in idem est consensus.* (b) Si ergo non potuisset à communione ista citra consensum aliorum recedi, vel nihil in isto statu occupari, utiq; sequitur res fuisse *positivè* communes. Ratio consequentiæ; Quod *communio negativa*, qua talis, est solum *Juris absentia*, & *non jus* alterius cujuscunq; *quæsitum* circa objectum sua natura occupabile. Quomodo autem non-ens possit requirere consensum, & actum poscere positivum, dispicere non valeo. Quia, *non entis nullæ sunt qualitates.* (c) vid. BART. & BAL. citati

(t) *lib. 4. Cap. 4. §. 10.* (u) *arg. Instit. Tit. de usu & habit.* (w) *l. 3. in Prin. vers. dare. ff. de usufr. l. 1. de sevit. rust. præd. l. 2. C. si quis alteri vel sibi.* (x) *Axiom. lib. XIV. Cap. XIII. axiom. V.* (y) *arg. Instit. §. 40. de rer. divis. & acq. ear. dom.*

z) *loc. cit. §. 13.* a) *ibid. §. 10.* b) *l. 1. ff. de pact. l. 3. ff. de pollicit.* c) *arg. l. 41. vers. quoniam ff. si cerc. pet. l. 4. §. 6. ff. de re judi. l. 2. ff. de usufr. l. 4. §. fin. ff. de action empt. l. 1. ff. de hæred. vel act. vend.*

citati GOTHOFREDO, (d) & BARBOSA. (e) Præterea, omnis consensus unius, circa rem ab altero occupandam vel consumendam, præsupponit istius Jus, mediante quo, res ipsi est obnoxia; nam si *Jus* sibi non haberet *quæsitum*, quid opus esset ipsius exspectare consensum, ut ex hoc demum alteri jus nasceretur adversus se ipsum? quo vel invito actus nihilominus suscipi posset; (f) BARBOSA. (g) Si præsupponat Jus, utiq; res non essent *Nullius*, sed ejus, cujus requireretur consensus: & per consequens, neq; res verè dici potuissent in *communione negativa* fuisse, aut *Nullius* esse. Quod tamen omnino necessarium. Sed video quemquam excipere: *Manere possit communio negativa seu positiva in toto aut partibus nobilioribus vel rebus frugiferis, etiam si proprietas sit in partibus minoribus vel fructibus?* THOMAS. (h) Non contranitor, posse esse *communionem negativam* in partibus nobilioribus; repono tamen, hoc haudquaquam ex *Instituto humano* esse, sed ex ipsa *necessitate naturæ rerum*; eo scilicet, quod nemo adhuc rem istam *actu*, animo sibi habendi, occupaverit. Sit insuper talis casus: Si duo ad quercum (ut exemplo prioris utar) eodem momento accederent, animo uterq; legendi glandes, nec alteruter propositum sciret alterius; quæro cujusnam glandes deficæ fierent? sane, ex lege de *Custodienda æqualitate*, siquidem alteruter, præ altero, *jus quæsitum* non habere supponitur, alia decisio fieri nequit: quam ut sint *naturaliter positivè communes*, si ab utrisq; colligerentur; si vero displiceat deinceps communio, & unus aliquid consumere vellet, utiq; (ne ista discordias pareret) (i) dividendæ. Colligè ergo, ne sic quidem simpliciter in rebus etiam minoribus seu fructi-

d) *ad l. cit. 4. §. fin. ff. de action. empt.* e) *Axiom. lib. XII. Cap. XVII. axiom. II.* f) *arg. l. 13. §. fin. ff. ad SCt. Vellej. Item l. 3. §. 3. ff. de fideicomm. libert. l. 3. ff. de reg. jur. l. 10. in prin. ff. de cond. & demonst. l. 4. ff. de acq. hæred.* g) *Axiom. lib. III. Cap. LXXIII. axiom. V.* h) *Jurisp. divin. lib. II. Cap. IX. §. 78.* i) *l. 77. §. 20. ff. de legat. 2. l. 2. C. quand. & quib. quart. pars deb.* BARBOSA *axiom. lib. III. Cap. XLIV. axiom. IV.*

fructibus, ante *actum occupationis*, esse *proprietatem*. Et, concipiamus quercum, quatenus non deciderant, si quis easdem vellet consumere, nonne prius debuisset earum habere *dominium?* quia, earum rerum usus, qui consistit in abusu, esse non potest vel separari à *Dominio*; adeoq; consumptio legitima, necessariò rerum consumendarum præsupponit *dominium*. Nec consumptio nuda, quæ est *facti*, *dominium* possit parere quod est *Juris*, sed hoc est causa illius; *Impossibile enim est, effectum causâ suâ esse legaliorem*; ut ex BALD. notat BARBOSA; (k) quod videretur, si *consumptio* parere *dominium* potuisset. Nec viderim cur differentiam heic inter *Res fungibiles* & *non-fungibiles* statuat. vid. THOMAS. (l) Nam si jus haberem citra omne pactum, *res fungibiles* consumere, hoc est, quod ipsæ, consumptione mea, secundum quosdam, redderentur dominio meo obnoxiæ; quod tamen & nos jamjam rejecimus; cur non æquè idem etiam de *rebus non-fungibilibus* dicendum foret? quia, *plus & minus speciem non mutant*: (m) BARBOSA. (n) GOEDD. (o) Nec enim si res minoris sit pretii, mihiq; in præsenti magis necessaria, ideo etiam ex se magis fit dominio meo obnoxia, quam si majoris sit; posità hac hypothesi, *si res justè dominio subjici queat.* Ex quocunq; enim fundamento Jus habeo ad *Res fungibiles* consumendas, ex eodem etiam jus habeo ad *Res non-fungibiles*; in necessarios meos usus in posterum reponendas; cum ipsa natura hanc differentiam non constituat. Ad ultimum ut singulare teneas; ea quæ ex *impositione* & *Instituto* fiunt, quatenus talia, liberè fieri, *Communio* autem *negativa* qua talis, sub dispositionem moralitatis non cadit, nec per liberam impositionem existit, sed necessario non potest non existere; nec ideo dici queat eandem esse ex *Instituto*. Sed ante victoriam noli cantare triumphum: instabimus nobismetipsis; Superius



k) *axiom. lib. III. Cap. XII. axiom. V.* l) *Cap. cit. §. 82. & seqq.* m) *l. fin. ff. de fundo instrum. Conf. l. 37. ff. de leg. 1. Item l. 11. ff. quemad. servit. amit.* n) *Axiom. lib. XIV. Cap. LIII. axiom. IV.* o) *ad l. 1. n. 30. ff. de verb. signif.*

perius dictum, *Communionem negativam* aliter non debere rectè concipi, nisi quatenus *Res considerantur, ut nullum antegressum est factum hominis*; de *Rebus* autem *derelictis* constat, 1. *Et verè jus aliquod circa easdem fuisse constitutum, humanumq. aliquem actum antegressum.* 2. *Liberè dein & ex instituto derelictæ, quatenus derelictæ?* Effugium speciosum: rem tamen paucis absolvam. *Res* constitutas in *Communione negativa* quâ tali, nullum antegressum est factum humanum; dico, *qua tali*, attendas ideo ad sensum reduplicativum; alias contradictionem implicaret, *actum humanum antegressum*, de istis rebus quâ talibus, prædicare. Eo enim ipso quo dico, *antegressum humanum factum esse*, statim subindico, res amplius in *statu* tali *negativo communi* non esse; adeoq; subjectum inter ac prædicatum necessaria est connexio. Quod ad alterum: distingvo inter ipsum *actum derelinquendi*, & ejusdem *necessarium consequens*; ipse *actus* qua talis ab instituto ac liberè susci pitur, licet ratione circumstantiarum interdum inviti quid involvat. Ipse autem *status*, in quem res devolvitur necessario existit, & non potest non existere; *necessitate* scilicet, ut cum Philosophis loquar, non *absoluta* sed *prædicationis.*

§. XIII. Ex præcedentibus vix difficile est dijudicatu, quam cautè sit explicandum illud Cl. Bœcleri, *Res dividere*, legem naturæ esse contendentis, hoc est, *non ita à natura accipere originem, ut Gentium demum arbitrio jus fiat, sivè juris rationem induat; sed natura ipsa hoc jus facit & absolvit. Item, est præceptum Decalogi, id est, caput juris naturalis qui enim dixit: non furaberis, eadem opera dixit: sit rerum proprietas ac distinctio?* (p) Cuicq; enim non ignotum esse existimo, qui modo primis, ut dicitur, labris, disciplinam juris naturalis gustaverit; legem naturæ strictè sic dictam, circa istos disponere actus, qui in se ac sua natura honesti sunt aut turpes, illos præcipiendo, hos vetando: quicq; cum natura rationali, hoc est, sociali, talem congruentiam habent, ut si homo ad contraria officia foret adstrictus, non homo sed bestia evaderet; talia sunt, E. g. neminem fallere, contemnere, quoad

p) *ad* Grot. *in præf. p. m. 9. Item. lib. 2. Cap. 2. §. 1.*

ad vitam aut membra lædere, nec cuicq; facere, quod sibi quis fieri nolit, aliacq;. Cum autem dico, *in se & sua natura tales* esse, non utiq; hoc volo, quasi moralitas eorum, ex principiis physicis rei, aut ipsa natura actus physici in se resultet; sed quod non ex *arbitraria hominum impositione* verum ex *dispositione* ipsius *Dei* promanat: hoc est, posito decreto Dei, de homine rationali creando, non potuere non, certæ actiones ipsius naturæ congruere & certæ disconvenire. *Rerum* autem *singularum* divisionem *singulis* faciendam, inter tales velle collocare actus, neminem tam simplicem fore judicaverim. Ideo probè distingvendæ hæ locutiones; *Esse legem naturæ*, & *Esse juris naturalis:* cum de *Dominio* in genere quæritur, cujusnam juris sit? non prior, sed posterior intelligenda. Illa *absolutè* ponit *legem*, hæc magis *attributum personæ.* Illa obligat præcidendo ab omni Instituto humano; hæc antegressum factum aliquod hominis, antequam obligatio actu secundo existat, ponit. Adeoq; dicere aliquid *esse juris naturæ*, nobis idem est ac si enuntiarem; Ratio dictitat id inter homines & constitui & recipi conducere, ex considerata vitæ socialis in universum ratione. Non autem quicquid dictitat mihi Ratio, est lex naturæ; aliud enim est *lex naturæ*, aliud *Dictatum rationis.* Cujus vel hæc unica adserti evidentissimi sufficeret ratio; quod nulla sic esset differentia inter *leges naturales* ac *positivas*, si æq; latè *dictatum rectæ rationis* ac *lex naturæ* pateret; quia *Recta* etiam *ratio leges* debet dictitare *positivas.* Nec eapropter malè asserunt JCti; *Rationem esse animam legis*, (q) *verba adinstar corporis.* Barbosa. (r) vid. Wesenbec. (s) A *lege* autem *naturæ* ea sola proficiscuntur, quæ fieri vel non fieri natura jubet, sic ut istud omitti, hoc fieri sine peccato nequit. vid. Rachel. (t) Nec ideo absurdum est statuere; *obligationem* de *abstinentia alieni* esse humanæ naturæ coævam, & *Dominium* deinceps introductum, ac *factum* præsupponere humanum. Sæpè enim obligamur ad ob-



q) *arg. l. 17. ff. de leg.* r) *Axiom. lib. XVI. Cap. VII. axiom. XII.*
f) *in Parat. de legibus n. 5.* t) *de Jur. Nat. & Gent. diss. 1. Thes. 13.*

ad obsequium priusquam sciamus, quid nobis injungendum sit. Et, *hoc nisi esset, omnis lex invalida esset.* HOBB. (u) Egregiè ergo monet GROTIUS; *Jus naturæ non tantum de iis agere, quæ citra voluntatem humanam existunt, sed de multis etiam, quæ voluntatis humanæ actum consequuntur.* (x) Et ad eundem locum ZIEGLERUS, *Jus naturale generalia quædam axiomata ac regulas continere*, inquit, *quæ tamen in exercitio adplicari nequeunt, nisi posita certa conditione humana, aut certo hominum statu.* Sic dominiis jam introductis, lex naturæ teste JC. PAULO (y) *furtum prohibet.* Et, *naturâ turpe*, dicit ULPIANUS. (z) Est ergo præceptum hoc non *absolutum* sed *hypotheticum.* Neq; enim est de essentia legis naturalis, ut omnia ejusdem objecta præexistant, quod variis potuerit probari exemplis, si id nostri in præsenti esset negotii. conf. PUFEND (a) Hinc benè discriminanda ipsa *Vis* ac *origo Dominii*, ab ejusdem *Efficacia heic & nunc*; hoc est, *Vis dominii* oritur *immediatè* ex *lege Socialitatis*, citraq; *factum* aut *pactum* humanum constituitur; ut vero tatis *Vis*, *effectus morales* in ordine *ad alios* exserere queat, hoc jure subnixos, heic & non alibi, hoc tempore potius quam alio, mihiq; adquisita sit, idipsum *factum hominis* præsupponit. Vel, *factum* & *arbitrium humanum* non habet se *constitutivè* ad *Dominium*, quà illud *Jus* est, sed potius *antecedenter*. *Rem* ergo absolvit quidem natura, ut hoc Cl. BŒCIERO largiar, *modum Rei* arbitrium humanum. Conf. §. IX. sup.

§. XIV. Fontem & originem *Dominii*, tanquam *Juris adquirendi* investigatam, consideratio ejusdem ulterior tanquam *Juris adquisiti*, de Divisione, excipit. Testatur equidem BARNAB. BRISSONIUS. (b) ante Imperat. JUSTINIANUM, duplex fuisse in Jur. Rom. dominium, *Naturale* & *Civile*, quorum illud *Rei χρῆσιν* unde *Dominus bonitarius*; hoc vero *Rei κτῆσιν* unde *Dominus quiritarius*, constituebat; cum autem hæc divisio per Imperat. eundem sit sublata, (c) quapropter HAHNIUS, (d) cum ECKOLTO, (e) MÜLLER, (f) RICHTERO, (g) aliisq;, *vix exactas in Jur. Rom. Dominii species* dari existimat. Juxta tamen Dd. dispectimus *Dominium* 1. In *Verum* & *Quasi dominium*. vid. MOLLENBEC. (h) & RACHEL. (i) *Illud* sic dicitur, quod *Verè adquisitum* est, de quo sup. §. IV. ad fin. *Hoc* vero quod revera non est, sed æquitate svadente fingitur. Quale Jur. Rom. tribuitur, filiofamilias in bonis patris viventis. (x) Item, B. f. possessori. (l) Tale etiam in legibus patriis deprehendo, & quidem eo in casu; ut mortuus aliquando hæreditatem edeundo vivum ab eadem excludat. (m) Ejusmodi autem *fictiones* Juris, à *mendacii* crimine rectè vindicat MÆSTERTIUS. (n) & MARSMANN. (o) 2. *Dominium* aliud est *plenum seu integrum*, aliud *minus plenum seu diminutum*. vid. WESENB. (p) VULTEI. (q) PUFEND. (r) Et hæc divisio petita à *forma & effectu*. *Plenum* dicitur, *cum quis rei proprietatem ac usumfructum in solidum habeat.* Quod *Plenam proprietatem* adpellat JCtus PAULUS. (s) item GOTHOFRED. (t) & PAPINIANUS. (u) *Plenam in re potestatem* dicit Imperat. JUSTINIANUS. (x) *Minus plenum* est, cum *proprietas separata est ab usu, & cui aliqua adfectio vel pars pleni dominii deest.* (y) Hoc vero subdividitur in *Directum* & *Utile*: quam subdivisionem in foro ac usu receptissimam, inter alios testatur HUNNIUS, verum hanc

*u) de Civ. Cap. 14. §. 21.* *x) de J. B. & P. lib. 1. Cap. 1 §. 10.* *y) l. 1. §. fin. ff. de furt.* *z) l. 44. ff. de verb. signif.* *a) de J. N. & G. lib. 4. Cap. 4. §. 13. & 14.* *b) lib. 4. Select. antiquit. Cap. 22.*

*c) arg. tit. C. de nud. jur. Quirit. tollendo.* *d) ad* WESENBC. *parat. de acq. rer. dom. n. IV.* *e) in eund. tit. cit. ff. §. 3.* *f) Jurisp. element. disp. XVI. thes. II.* *g) Velit. Acad. 28. Thes. IV.* *h) Disp. jurid. cent. 2. divis. 101.* *i) Instit. jurisp. lib. 2. Tit. 5. §. 2.* *k) l. 11. ff. de liber. & posthum.* BARBOSA *axiom. lib. II. Cap. XX. axiom. VIII.* *l) §. 35. Instit. de rer. divis. l. 48. ff. de acq. rer. dom.* *m) Erfo B. Stl. Cap. 8. Eod. tit. dd. Cap. 10. Stl. Cap. 7.* *n) de Just. leg. Rom. lib. 2. dubit. IIX.* *o) Disp. de Fictionibus hom. & Jur.* *p) In parat. de acq. rer. dom. n. 4.* *q) de Judic. lib. 2. Cap. V. n. 119.* *r) de J. N. & G. lib. 4. Cap. 4. §. 2.* *s) l. 46. ff. de usufr.* *t) ad eand. leg.* *u) l. 2. ff. quib. mod. usuf. amitt.* *x) §. fin. Instit. de usufr.* *y) l. 17. ff. quib. mod. usuf. amit.*

hanc legibus civilib⁹ vix ac ne vix quidem defendi posse existimat. (z) Imo plane commentitiam pronunciat ANTON. FABER, (a) magnoq; errore introductam adserit CUJACIUS. (b) Nos tamen facientes cum D. CARPZOW. nisi offenderemus delicatulos, quorum palato, quod in Jur. verbis expressum non est, parum arrideat; & quæ veterum JCtorum eloquio non convenit, ad gustum eorum haud proferuntur, quare ab iisdem ut dicitur, latum recedere unguem, religio sit: fatemur equidem duplicitatem hujus *Dominii* verbis non exprimi, juri tamen rem ipsam adversari, pernegamus. (c) conf. GIPHAN. (d) & TIMÆ. FABER. (e) *Directum* est, *cum proprietas ad aliquem in solidum pertinet*; quale Dominus superior in rebus feudalibus & emphyteuticis habet, quod est sinè fructu, non tamen absq; aliqua utilitate; nam Emphyteuta domino suo censum aliquem præstat; eodem etiam modo Vasallus, operas quasdam domino suo debet. Estq; illud cum spe consolidationis; si nimirum justa intercesserit causa, ob quam feudo vel re emphyteutecaria privari possint. SCHNEIDEW. (f) & MYNSING. (g) Dixi *Dominium utile* cum *Directo* consolidari posse; quod non ita intelligendum ac vulgo Pragmatici putant; nempe, *incipere Dominium directum, Utile quoq; habere*: sed potius, *Dominium* illud *Utile*, *Directo* finiri ac extingui, consolidatione. Quemadmodum etiam dicimus finiri usumfructum nam veluti *Ususfructus* nullus est, qui sit cum *proprietate* conjunctus, ita nec *Dominium utile* ullum, quod cum *Directo* possit esse conjunctum, sed fit & existit demum *utile* per separationem & distinctionem à *Directo*. Hinc FABER (h) insignem, errorem BALDI ac pragmaticorum notat, existimantium videlicet, *cadente Emphyteuta à Jure suo, ob factam in solutione canonis cessationem, Rem ad Dominium directum redire*: quasi *Dominium* illud *Utile*, quod in eum usq; diem fuerat penes Emphyteutam exinde adquiratur *Domino directo?* Neq; enim potest redire Dominium ad eum, à quo nunquam abscesserit, si de *Directo* intelligas; sin' de *Utili*, fuit quidem illud Emphyteutæ, quamdiu contractus Emphyteuticus subsistit; ita tamen, ut amissum ab Emphyteuta, non potuit recurrere ad *Dominium directum*. Quia, *nunquam Dominium utile cum Directo, in una eademq; persona, ratione ejusdem rei, concurrere possit.* vid. VASQUI. (i) Ratio ad manus: *Ususfructus est jus re aliena utendi fruendi, salvâ ejus substantiâ.* (r) Cum ergo ad *Usumfructum* requiratur *Res aliena* & non *propria*; quia, *res sua nemini servire queat.* (l) Hinc etiam sequitur *Dominium directum* cum *Utili* nunquam concurrere posse. Sed videatur forsan hoc alicui contradictorium: nam cui competit *Dominium plenum*, is utiq; tam *proprietatem* habet, quam *Usumfructum*, ex ista *proprietate* provenientem percipere potest, adeoq; in una eademq; persona, & ratione ejusdem rei, concurrere posse? Verum & huic objectioni facilis responsio; minus adcuratè dicitur, aliquem posse usumfructum sibi in re propria constituere; nam, *quod meum est, id amplius meum fieri nequit.* (m) conf. CORAS. (n) TABOR, (o) BARBOSA. (p) Aliud Ergò est ipsum *Jus Ususfructus*, & aliud *Res usufructuariæ*; hæ quidem, hoc est, commoditates quæ ex ista re percipiuntur, cum *dominio directo* concurrere possunt, non item *Ususfructus*; ita tamen, ut ubi concurrant, finitur *Dominium Utile*, & quasi absorbetur à *Directo*. Quocirca distingvendum inter *Usumfructum causalem* & *formalem*: quæ distinctio, vocis saltem est æquivocæ in sua æquivocata,

z) *Var. resolut. lib. 2. Tract. 1. Quæst. 7.* a) *lib. 20. Conject. Cap. XI. §. II.* b) *Observ. lib. 2. Cap. 35.* c) *Volum. disp. de Jur. fem. sing. Decad. 5. posit. 3. n. 25.* d) *lib. 2. disp. IX. n. 1.* e) *disp. anniversar. 14. Coroll. 1.* f) *ad Instit. de rer. divis. §. II.* g) *ad rub. ejusd. tit.* h) *De error. prag. decad. 23. error. 2.*

i) *Controv. illust. Cap. 67. n. 4.* k) *l. 1. ff. de usufr. Instit. eod. tit. in prin.* l) *l. 5. ff. in prin. de usufr. petit. l. 26. ff. de servit. urb.* m) *l. 14. ff. §. 2. de except. rei jud. arg. l. 45. ff. de reg jur. l. 3. §. 4. ff. de acq. poss. Instit. §. 14. de action. arg. §. 6. Instit. de legat.* n) *Misc. jur. Civil, lib. 5. Cap. 3.* o) *Tract. jur. Vol. 2. Racemat. V. p. m. 148. Item pag. 94. ad l. 38. ff. de furt. Idem De jure Cereviſ. Cap. VII.* p) *Axiom. lib. XII. Cap. XIX. axiom. 2.*

cata, ut recte monet RACHELIUS. (q) *Ille* sic appellatur, ab usu rei propriæ ac commoditate tributa domino, utendi & fruendi re sua pro arbitrio. (r) SCHNEIDEW. (s) Et hic Ususfructus *Servitutis species* non est. GOTHOF. (t) Quia à *proprietate* seu *Dominio* non est separatus; (u) sed cum *Causa* sua, id est, *proprietate* conjunctus & unitus existit. *Hic* verò sic dicitur, qui est separatus à sua *causa*, & habet certam quandam ac distinctam formam à sua *proprietate*; ita, ut apud unum est *proprietas*, apud alium vero *Ususfructus ejusdem rei*. vid. MYNSING. (x) GŒDD. & BRECHÆ. (y) De priori itaq; sermo nobis non est, sed solum de posteriori; qui ut dictum nunquam concurrere possit. *Utile Dominium* est, quo utilitates rei, ex re aliena nobis obveniunt. MOLLENBEC. (z) Quale habent Vasallus, Emphyteuta, Superficiarius. (a) conf. SCHNEIDEW. (b) MYNSING. (c) WESENBEC. (d) TREUTLER. (e) *Dominium* quoq; nonnulli constituunt aliud *Rei* aliud *Juris* per *illud* intelligunt, quo *Res aliqua corporalis*, per *hoc* quo *Jus aliquod proprium* est. Hic tamen notandum, veteres JCtos Rom. *Dominii* vocabulum strictius interpretatos fuisse ac propriè de *Re corporali* dixisse. (f) Ideoq; factum ut plurimi Dd. hanc divisionem rejiciant ac fastidiant; interq; alios maximè HAHNIUS (g) eandem examinis rigori sistere gaudet; cujus etiam Asseclas HILLIGERUM, (h) & UNGEPAUR, (i) dissentientibus licet ab eis TREUTLERO, (k) BACHOVIO, (l) HACKELMANNO (m) & WISSENBACHIO, scribit ECKOLTUS:

q) *Instit. juriſp. lib. 2. Tit. 14. §. 5.* r) *l. 21. C. in re mand.* s) *ad Tit. Instit. de usufr. n. 5.* t) *ad eund. loc. cit.* SCHNEID. u) *idem ad l. 5. ff. in prin. si usufr. petat.* x) *ad tit. cit. Instit. l. 25. ff. de verb. sign.* y) *ad eand. leg. ff.* z) *Divis. jurid. cent. 2. divis. 89.* a) *l. 1. ff. si ag. vect. pet. l. 12. C. de fund. patr.* b) *ad Instit. §. 11. de rer. divis.* c) *ibid. loc. cit.* d) *Parat. eod. tit. n. 4.* e) *Disp. 15. Thes. 1. lit. g.* f) *arg. tit. de acq. rer. dom. Tit. ff. & C. de rei vind.* g) *ad* WESENBEC. *parat. de rer. divis. n. 3.* b) *ad* DONELL. *lib. 9. Cap. 8. lit. B.* i) *Exercit. 5. Quæst. 6.* k) *Vol. 2. Disp. 20. Thes. 1. lit. L.* l) *ad eund.* m) *decad. 4. Quæst. 2.*

TUS; (n) Nos tamen cum isthoc moti multis textibus Jur. Rom. (o) istam melioris cognitionis ergo, haud inutiliter retineri arbitramur. Aliter HUGO GROTIUS *dominium* dividit in *Privatum*, *Eminens*, ac *Supereminens*; adscribendo primum *homini privato*; alterum *Civitatis rectoribus*; hoc verò *Deo*. Indeq; pro diversitate subjecti, à quo petita est hæc divisio, minorem *Privati* quam *Eminentis*, & utriusq; hujus quam *Supereminentis* authoritatem statuit. (p) Cum tamen nobis maximè constitutum sit, de *Dominio privatorum* agere, de reliquis hac vice minus solliciti, publicoq; discutiendum relinquentes examini, quatenus Summis imperantibus Jus in bona subditorum competit.

# CAPUT. II.

## NATURAM, RESPECTUM PERTINENTIÆ, AC DIVISIONEM *RERUM MORALIUM* PERSTRINGIT.

### CONSPECTUS.

*I. Connexus materiæ*: Res moralis *qua ratione ita appellatur?*

*II. Prior Rerum divisio sit ratione* pertinentiæ ad personas.

*III.* Res *quænam* Publicæ. Flumina *quæ* Publica, quæ Privata.

*IV.* Res universitatis *quænam.*

*V.* Res quædã Jur. Nat. Communes Dominio justè subjici nequeunt.

*VI.* Res *quot modis in Jur. dicantur* Nullius. *Quid Juris circa* Res Ecclesiasticas.

*VII.* Res religiosæ *quales: Sepultura haud injuste quibusdam denegatur.*

*VIII.* Res Sanctæ *quænam.* Legati *regulariter Sancti ac inviolabiles habendi.* Leges *etiam rebus sanctis recte annumerantur.*

*IX. Res quædam ipso* actu Nullius, *ejus tamen sunt conditionis, ut aliquando haberi possint.*

*X. Posterior Rerum divisio sit ratione* Essentiæ & secundum se spectatas.

§. I. Res



n) *ad Tit. ff. de acq. rer. dom. n. 7.* o) *l. 3. ff. si usufr. petat. l. 15. §. 8. ff. quod vi aut clam. Instit. §. 2. de action.* p) *De J. B. & P. lib. 1. Cap. 1. n. 6. Cap. 3. n. 6. conf.* RACHEL. *Instit. Jurisp. lib. 2. Tit. 1. §. 4.*

TARTU ÜLIKOOLI RAAMATUKOGU

§. I. REs quamquam creatas, instrumenta veluti ac commoda, necessitati hominis inservientia, Summus ille Favor Cælestis, quoquò modo obnoxias reddere voluerit; quin tamen quædam, ipsâ quasi *naturâ*, quædam *facto hominum voluntario*, commercio nostro sint exemtæ, nullum superest dubium; parum igitur prodesset, *Originem ac naturam Dominii* sibi notam habere, nisi insuper *Rerum*, quatenus adquiri possunt, habitudo nobis repræsentetur; in earum propterea Qualitate inquirenda, ratio instituti pergere jubet. Est itaq; *Res moralis, quæ spectatur cum respectu pertinentiæ ad personas, quatenus iisdem obnoxia est ac divincta.* Postquam enim *Res*, paulatim *Dominium* subiêre; homini, peculiarem quandam obligationem, certo sese circa certas gerendi modo, esse injunctam, satis in confesso est; dum verò quædam *Juris divini*, quædam *humani* dicantur, non utiq; ipsis *Rerum essentiis*, aliqua *Sanctitas* inhæret, sed *causam* ob *finalem*, cui destinatæ, plurimum quæ in moralibus valet, talis ipsis *impositio* facta. *Quâ causâ cessante, cessat pariter obligatio*, easdem modo eodem ac antea tractandi. (a) conf. BARBOSA. (b) Cum ergo tales sint, non *naturâ* sed *Institutis hominum*, (c) vid. ECKOLT. (d) hinc in se consideratæ, indifferentes, ac utriq; Juri æqualiter adinstar adaptatæ. Nec tamen putandum, dum istis *moralitatem* adsignamus, hoc in sensu rigoroso interpretandum esse; veluti Ipsæ per se essent moralitatis capaces: sed ita potius accipiendum; Quod homines inter *moralis* aliqua *qualitas* exorta est, mediante qua, ipsis *obligatio* incumbit, vel *certo ac determinato* legibus *modo* easdem habendi, vel à rebus ad se nullo modo pertinentibus, omnimode abstinendi, ac Dominis earum legitimæ dispositionis facultatem haud præpediendi, vel etiam præoccupandi. Quæ ipsa *qualitas*, homini quidem inhæret, ipsumq; afficiat, in *Rebus* verò *terminatè* duntaxat deprehẽditur, eisq; *objectivè* adscribitur. Unde denominationem extrinsecam adeptis, moralitas eatenus attributa, quatenus *Objectum juris* (e) constituunt & absolvunt. Conf. PUFEND. (f)

§. II. Quoniam formalis ratio *Rerum moralium*, in isto *respectu ad personas* consistit; hinc JCti talem nobis suggerunt divisionem: *Res* vel sunt *In patrimonio*, vel *Extra*. (ff) *Patrimonium* autem propriè ac specialiter, pro *bonis paternis* (g) sumitur, hic vero generaliter significat omnia ea, quæ in *dominio* (h) aut *bonis* sunt. (i) Unde *in patrimonio esse vel non esse*, idem est, ac *in bonis esse vel non esse*. Istæ *Res in patrimonio* esse dicuntur, quæ à *singulis* rectè possideri ac variis de causis adquiri possunt. (k) Sufficit ideo *Res* ita *affectas* esse, ut *in Patrimonio nostro esse possint*, nec necessum est, ut statim *actu* sint; 'prout cum GIPHANIO & BACHOVIO (l) rectè sentit LUDWEL. (m) *Extra patrimonium* sunt, quæ *singulorum* Dominio non subsunt. Et sunt hæ *Publicæ, Universitatis, Communes* & *Nullius*.

§. III. *Res publicæ* sunt, *quæ in proprietate Regni alicujus seu Populi, publico expositæ usui*. (n) Ut *Flumina publica* & *portus*. (o) Quorum tamen usus, moribus hodiernis, vix omnino liber est, sed certo restrictus modo. STRUV. (p) Eo, quod Summi imperantes quorum per territoria fluunt, Jus sibi, transeuntibus vectigalia imponendi, vendicarunt. Vid. SCHNEIDEW. (q) GUDELIN.



*a) arg. l. 6. §. 2. ff. de jur. patron. l. 40. ff. de hered. Instit. l. 52. §. 1. C. de Episc. & Cleric. l. 6. C. de pact. int. empt & vendit. b) Axiom. lib. III. Cap. XII. axiom. V. c) arg. §. 8. Instit. de rer. divis. d) ad Tit. ff. de acq. rer. dom. n. 18.*

*e) Instit. §. fin. de J. N. G. & C. f) De J. N. & G. lib. 1. Cap. 1. §. 16. item lib. 4. Cap. 4. §. 1. ff) In prin. Instit. de rer. divis. g) arg. l. 7. ff. de bon. damn. conf.* GŒDD. *ad l. 5. ff. de verb. sign. n. 21. h) arg. l. 14. ff. de acq. rer. dom. conf. l. 1. ff. de usufr. ear. rer. i) l. 49. ff. de verb. sing. k) arg. §. 11. Instit. de rer. divis. l) ad prin. Instit. tit. cit. m) ad eund. tit. n. 2. n) l. 24. ff. de damn. inf. l. 3. ff. ne quid in loc. pub. o) l. 7. §. 5. ff. de acq. rer. dom. §. 2. Instit. eod. tit. p) Syntag. Feud. Cap. 6. Item Jurisp. Rom-Germ. lib. 2. Tit. 1. §. 6. q) ad §. 1. Instit. tit. cit. n. 5.*

DELIN. (r) HEIG. (s) BRUNNEM. (t) PERING. (u) CLAUD. Klot. (x) Sic qui per flumina publica, veluti Danubium, Rhenum, Albim, aliaq; navigant, vectigalia Dominis, quorum per territoria aqua labitur, modo Regalia habeant, persolvere tenentur. SCHULTZ. (y) Quod suis nititur rationibus: cum hoc nomine principes tutum ac securum, navigantibus præstent transitum: &, si cuidam sub itinere in via publica, damni quid contigerit, hoc ipsum refundere sunt adstricti. MYNSING. (z) Et secundum dispositionem Jur. Saxonici; **Er sol ihn vor schaden bewahren / bey seinem Geleite / oder den schaden gelten.** (a) Æqvum ergo est, *ut quem seqvuntur incommoda, eundem etiam sequi commoda.* (b) Et hæ in specie dicuntur *Res publicæ*; alias etiam quædam *Publica Civitatum* dicuntur, (c) quæ *abusivè Publica* nominantur. (d) Quia, *Civitates privatorum loco habentur.* (e) Unde etiam *Publica Civitatum* opponuntur *Publicis imperii* seu *Populi.* (f) A quibus etiam distingvenda puto, quæ in LL. nostris appellantur *Fundi Regii* & *Prædia Fisci*; qualia fuere *Upsala*-**Ödhe** / id est, *Possessiones Upsalenses*, quæ ad sustentationem Regis pertinebant; (g) vid. STIERNHÖÖK. (h) Quà ad *Publica Civitatum* referimus ex Jur. itidem Patrio, *Fundos seu loca communia*, Svetic è **Allmeñing** / quæ tamen modo triplici differre videntur; quædam enim *Communia provinciæ unius*, vulgò **Landz-allmenning** / quibus non aliis, quam ejusdẽ provinciæ incolis uti permissum: **Ty at engen mä annars allmenning fara eller fiskia / i Skogum eller watnom / uthan han häti widher lagha bothum;**

r) *De jur. noviss. lib. 2. Cap. 2. §. plane huic jur.* s) *ad Instit. tit. cit. n. 21.* t) *ad §. 2. Ibid.* u) *De jur. fisc. lib. 1. n. 19.* x) Łagbfarenheęs Spegel *Cap. 1. lib. 2.* y) *ad §. 5 Instit. tit. cit. lit. B.* z) *Cent. 5. obs. 70.* a) Łandr. *lib. 2. art. 27. vers.* wen er aber gelett *etc.* b) *l. 10. ff. de reg. jur.* c) *l. 17. ff. de verb. sign.* d) *l. 15. ff. eod. tit.* e) *l. 16. ff. ibid.* f) *l. 9. ff. de usuc. & usurp.* g) Kong B. II. *Cap. 2. & 4.* h) *De jur. vetust.* SVEO-GOTH. *lib. 2. part. 1. Cap. 6.*

**thum; eller hafwe loff och legho fore sig;** hoc est, *Nemini Jus esto aliorum communitatem usurpare in silva aut aquis, nisi mulctæ plecti velit legitima. Vel veniam pro se aut conductionem habeat.* (i) Quorum dispositio Judici Provinciali commissa fuit. (k) Quædam *Communia Centuriæ unius vel Heredæ*, **Häradz-allmenning:** Quorum etiam expressam differentiam lex statuit à **Landz-allmenning; Nu må engin rydia Skoghrydio å Landzallmenningiõ eller Häradz** / id est, *Nulli Jus esto sylvam provinciæ aut Heredæ communem exstirpare.* (l) Ubi particula disjunctiva **eller** inserta deprehenditur. Circa horum etiam dispositionem, idem Juris Judici Territoriali ac Provinciali circa loca provinciæ communia, competebat. (m) Ita tamen, ut nemini fas fuerit, aliquid horum locorum, quocunq; titulo possidere aut colere, absq; canonis præstatione: **Hafwi engin wäld / Landz-allmenningia eller Häradz / in till sijn kiöpa eller skipta / utan swå at der giftwis Lande eller Herade Gifft af och affrad / swå som det war uptakit med.** (n) Denicq; quædam *Communia* sunt *pagis aliquot*, aut *incolis unius pagi*; **Bya-allmenning;** item **Granne-allmenning;** alias **Samfält** appellantur. (o) ut, *pascua, Silvæ, flumina*, quæ tamdiu ipsis communia permanent, quamdiu eos inter convenerit; si vero quis communione abutatur, & aliquis *divisionem* petat: **Tå giftwis honom wäld till Skiptis dhela** / hoc est, *divisionem petenti jus esto ut audietur.* (p) *Ne communio discordias pariat.* (q) BARBOSA. (r) *Flumina* verò Dd. hoc loco alia *publica* alia *Privata*, describunt, horumq; differentiam afferunt, quod *publica* sint *perennia* (s) hoc est, quod semper fluant; (t) *privata* verò

i) Bygn B. II. *Cap. 29. §. 1.* k) *arg. ejusd. Cap. §. 2.* l) *Cap. 31. §. 2. eod. tit.* m) *arg. Cap. 29. §. 2. tit. cit.* n) *Cap. 31. §. 1. ibid.* o) *Cap. 33. in prin. eod. tit.* p) *Cap. 32. in fin. tit. cit.* q) *77. §. 20. ff. de legat. 2. l. 2. C. quand. & quib. quart. pars deb.* r) *Axiom. lib. III. Cap. XLIV. axiom. IV.* s) *l. 1. §. 3. ff. de flum.* t) *ibid. §. 2.*

verò quæ interdum aquis deficiunt, &, ad *publicum bonum* scilicet *navigationem* non sunt apta. MYNSING. (u) SCHNEIDEW. (x) BORCHOLT. (y) Ac proindè *privata* sive *non-perennia*, improprie saltem & abusivè dicunt esse flumina, unde propriè loquendo sequitur, *omnia flumina esse publica.* HUNNIUS. (z) Nobis tamen, verius secundum usum hodiernum videtur; ea esse *publica*, quæ sunt *populi* alicujus seu *Imperii*, omniumq; usibus patent; & Regalibus annumerantur, *Privata* verò quæ sunt in dominio, commodo ac usu alicujus privati: ut quœ in privato oriuntur & fluunt, &, vel ex Summi Imperantis concessione, vel alio quoquo titulo justo, habentur.

§. IV. *Res universitatis* dicuntur, *quarum usus ad istos saltem pertinet, qui alicujus universitatis membra sunt.* Adeoq; *Universitas* appellatur hoc loco, *collectio plurium hominum, uno nomine specialiter eis deputato.* SCHNEIDEW. (a) ut, Academia, Collegia quorumcunq; opificum, qui *Res communes* habere possunt; quarum *proprietas* non *singulis* sed *omnibus* sub *universitate* comprehensis, tanquam *uni* (b) personæ morali, competit. *Extra patrimonium* ergo dicuntur, ratione *proprietatis*, non oppositè ad *communionem negativam*, sed saltem respectu *singulorum:* cum & hæ maximè etiam *proprietatem* subierunt. Et hic observanda regula: *Si quid universitati debetur, singulis non debetur, nec quod debet universitas, singuli debent.* (c) BARBOSA. (d)

§. V. *Res communes* sunt, *quæ jure naturali singulis quoad usum vacant, nec ab occupantibus per partes adquiruntur. Ut Mare, aër, lumen solis* & similia. (e) *Mare* puta *vastum;* partes enim quædam eatenus occupantium efficiuntur quatenus promiscuus iste usus non iniquè læditur. (f) RACHEL. (g) Est ergo Mare, non *positivè* sed *negativè* commune; alias *occupatio ex parte* locum non haberet. *Nam quæ positivè communia sunt, nullo modo ita occupari possunt, ut sint singulis propria.* (h) Quia, *Socius in re communi, in quacunq; minima particula suam habet portionem.* (i) ZASIUS. (k) Ne tamen mirum tibi videatur, quod *Res negativè communes* inter *morales* heic reponimus, cum superius negatum, *ullam istis moralitatem, per extrinsecam denominationem esse impositam?* si modo distinguas *Res* quæ *debuêre ac justè potuêre Dominium subire*, ab istis, quæ in *Communione negativa permanere debebant.* Et hæ sunt, quas in prin. §. 1. hujus Cap. *Naturâ quasi exemtas hominum commercio*, dixi: *quasi-exemtas* voco, reipsâ enim & subtilitate juris, *exemtum esse* dici nequit, quod nusquam in *alicujus dominio aut proprietate* (l) fuerit: utpote, *cum ejus solum sit privatio cujus est positio:* ut autoritate jur. (m) inquit GOTHOFRED. (n) Quin &, ubi supra §. XI. sensum meum, de *Communione negativa*, exposui, cum hoc loquebar additamento; scilicet, *non quod repugnaret eas adpropriari posse.* Quo satis adparet, me tacitè excepisse istas, quas heic intelligo, *Res*, quæ *Dominium justè subire non potuêre.* Ubi insimul quoq; observavi, *Usum* de eisdem, in sensu Juridico, vix adcuratè prædicari. Conf. STRAUCH. (o) Neq; enim, dum loc. cit. negavi, *circa Res in Communione negativa esse aliquod jus quæsitum actu constitutum*: statim etiam volui nullum circa *singulas in universum, esse Jus connatum*, hoc est, tale, quod non præsupponat *factum hominis* vel *pactum*, antequam *actu exerceri* possit. Habet ergo homo, *Jus utendi Rebus*, quæ *Dominium subire non debuêre*, ex ipsa *naturâ, nullo antegresso facto humano;* quod secus tamen est in iis, quæ *Dominium justè subire potuerunt.*

*u) ad §. 2. Instit. tit. de rer. divis. n. 1. x) ibid. n. 6. y) item n. 6. z) Var. resol. Jur. Civil. lib. 1. Tract. 2. Quæst. 9. a) ad §. 6. Instit. tit. cit. n. 1. b) arg. l. 22. ff. de fidejus. l. 4. §. 1. ff. quod met. caus. l. 2. §. 5. C. de jure jur. propt. calumn. l. 7. §. 2. ff. quod cujusq; universi. nom. c) l. 7. §. 1. ff. tit. cit. d) Axiom. lib. XIX. Cap. 38. axiom. 3. e) §. 1. & 5. Instit. de rer. divis.*

G

*f) arg. l. 30. §. ult. l. 50. ff. de acq. rer. dom. g) Instit. Jurisp. lib. 1. Tit. 28. §. 7. h) arg. §. 9. Instit. tit. cit. conf.* BARBOSA *axiom. lib. XVI. Cap. LII. i) l. 26. ff. de servit. præd. urb. l. 28. ff. de comm. divid. k) Singul. Intellect. lib. 1. n. 10. ad l. 3. ff. de nov. opr. nunc. l) l. 8 3. ff. de reg. jur. m) arg. l. 18. ff. de acq. hered. n) ad l. 4. ff. eod. tit. o) diss. de imper. maris, Cap. 3. §. 2.*

*potuerunt.* Cum ideo, *Communionem negativam, Jus* aliquod non esse, dixerim: hoc semper intelligendum venit, de *Jure* aliquo *quæsito*; nec de *Objectis* aliis, quam istis, quæ *juste occupabilia* fuêre. Loco etiam ulterioris declarationis, & hoc adnotandum mihi succurrit; *Jus* illud *connatum*, quo homo, *circa Res negativè communes, & Jur. Naturali inoccupabilia*, gaudet, extra *Exercitium, nullum producere in ordine ad alios effectum*, sed *citra usum quasi non adparere.* Sic, E. g. Jus navigandi, Jus lavandi, aquam hauriendi ex Oceano, Jus utendi calore solis, luminis, & similia; extra *Exercitium nullum naturaliter producit effectum*; hoc est, Jure alterum prohibere nequeam, quin & ipse, eundem navi cursum secare, eodem in loco lavare, easdemq; particulas caloris, luminis, si fieri possit, in usum suum adhibere, queat. Dixi *naturaliter*, nè quis mihi objiceret, *Servitutes constitutas circa Res alienas*; (p) V. g. Ne *Luminibus* (q) & *Ne prospectui officiatur*; (r) quas determinando tribuit & constituit *Jus Civil.* (s) aut *Arbitrium humanum.* (t) Conf. Eckolt. (u)

§. VI. *Res nullius* quinq; modis dicuntur, juxta versum: *Censurâ, Casu, Naturâ, Tempore, Facto.* 1. *Censurâ nullius* sunt, *quæ hominum facto voluntario extra patrimonium considerantur, ita ut nec dominio singulorum actu subsint, nec regulariter subjici possint.* Et huc spectant *Res Divinæ*: (x) quæ sunt vel *verè tales*, vel *quasi-Divinæ.* Prioris generis sunt, *Res Sacræ*, quæ *Deo rectè sunt consecratæ. Deo*, hoc est, exponente Donello, (y) *Usibus divinis iisdemq; ad cultum Dei pertinentibus.* Deo enim propriè nil dicari aut consecrari potest, ita, *ut magis fiat ipsius quam antea:* quia, nostris non indiget, nec si indigeret, à nobis acciperet; utpote, cujus antea

*p) l. 26. ff. de servit. præd. urb. vid.* Gothofred. *ad leg. cit. l. 10. ff. comm. præd. l. 33. in fin. ff. de servit. præd. rust. q) l. 4. l. 23. ff. de servit. præd. urb. r) l. 15. l. 16. ff. tit. cit. s) l. 22. §. 3. ff. fam. erciſc. l. 10. in prin. ff. si servit. vind. t) arg. §. ult. Instit. de servit. præd. u) ad ff. Tit. de servit. §. 2. Item ad tit. de servit. præd. urb. §. 12. & 14. x) l. 1. ff. l. 6. §. 2. ff. de rer. divis. ac qual. y) lib. 4. Comm. jur. Civil. Cap. 1.*

tea sint omnia, quod ergo semel alicujus est, id, ut tale, amplius fieri nequit. Sed ita potius interpretandum putarem; quod hominesRes suas divino usui consecrando, earundem utendi facultatem, pari modo ac antea, sibi ademerint; sicq;, non tam Deo quid datum, quam juri suo competenti renunciatum, neq; tam *novum jus* ejdem adquisitum, si ita loqui fas sit, quam *suum* relictum; quo tamen antea homini adinstar privilegii, utifrui tanquam concessit. *Rectè* dico, hoc est, modo tali ac postulant LL. Talia postulata placet adponere quatvor: *dedicandum, dedicantem, modum* ac *finem*; quorum deficiente uno, *sacrum* haud magis evadit, ac fuit, quando erat *prophanum.* (z) Heic tenenda est regula; *Quod omnis alienatio ac distractio Rerum Ecclesiasticarum regulariter sit interdicta.* (a) Vid. Brvnnem. (b) Jur. tamen Rom. nonnulli reperiuntur casus, quibus alienatio earum est permissa; veluti *1. Ex causa pietatis*: pro *redemptione captivorum*, si Christianæ fidei consortes ab hostibus capti veniant redimendi, & nihil aliud suppetat, undè redimantur: Quia, *animæ hominium quibuscunq; vasis vel vestimentis præferri debent.* (c) *Recte igitur* Achatius, inquit Borcholten, *cum multi Christiani capti essent; suasit; omnia vasa sacra alienari debere, hac usus ratione: quod Deus neq; vasis neq; poculis indigeret, quia neq; ederet, neq; biberet.* (d) Item, *Tempore famis*, pro *alimentis pauperum*, si intoleranda fames ita premat eos, ut eorum vitæ sit omnino succurrendum; *Aurum namq; Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget & subveniat in necessitatibus.* (e) II. *Ex causa necessitatis*: ut si æs alienum urgeat Ecclesiam, nec aliud habeat, unde persolvi queat. (f) III. *Ex causa utilitatis*, si conditio Ecclesiæ inde fiat melior. (g) Conf. Dvaren. (h) Quod etiã cum LL. nostris convenit; Kirckio ma cigh andre lund kiöpa / utan till bättra. (i)



*z) arg. l. 6. §. 3. ff. tit. cit. a) Auth. C. 17. de sacr. sanct. Eccles. b) ad l. 5. C. de leg. & const. c) l. 17. C. de sacr. sanct. Eccles. d) ad §. 7. Instit. de rer. divis. e) Cap. Aurum. 70. Caus. 12. Quæst. 2. f) Auth. C. 3. & 15. de sacr. sanct. Eccles. g) Novell. 120. de alien. & Emphyt. h) lib. 7. Cap. 9. de Sacr. Eccles. minist. & benef. i) Cap. 20. Egnß. östl.*

Et Jur. Noviſſ. duo caſus excipiuntur; **Högſta Nödtorfft eller Nyttia.** (k) Porro, non ſolum *Ædes* Deo conſecratæ efficiuntur ſacræ, verum etiam *locus* in quo ædes exſtructæ ſunt; adeo, ut diruto etiam ædificio in tantum ſacer maneat, (l) ut vendi non poſſit. (m) Hoc tamen caſu excepto: ſi ab hoſtibus capiantur ac deſolantur ædes, locus tanquam prophanus tantisper Jur. Civ. manet, donec ab eadem calamitate liberetur, & quaſi poſtliminio priſtino ſtatui reſtituitur. (n)

§. VII. Poſterioris generis, ſeu *Res quaſi-Divinæ*, ſunt *Religioſa loca*, hoc eſt, *ſepulturæ hominum deſtinata*. Differunt autem hæ à *Rebus ſacris*, quod *nemo privatus poſſit Rem aliquam Sacram conſtituere*, ut modo indigitatum. *Rem vero Religioſam quis poſſit de Jur. Civil. propria voluntate facere, nimirum inferendo mortuum in locum privatum, eundemq; ibidem ſepeliendo.* (o) Hinc olim cuiq; ſepulchrum ſive monumentum in loco, in quo ei jus erat, facere permiſſum. (p) Quæ dicta ſunt *ſepulchra familiaria* ac *hæreditaria*. (q) Quem morem etiam ab antiquis noſtris Sveogothis obſervatum fuiſſe, teſtatum facit B. m. Loccenius in de Antiquit. Sueo-Goth. Cujus verba huc tranſcribere nec pigebit. *Præterquam quod in collibus ex aggere compoſito tumulis defunctos ſepeliebant* Sueones, *ante captam veram religionem etiam in campis prædiorum ſuorum, aut finibus agrorum, aut propè vias publicas, loca ſepulchrorum habebant, ut ita defunctorum memoria magis obvia ac diturna eſſet, & tranſeuntibus vivos ac ſuperſtites mortalitatis ſuæ ſubindè monerent; ea vero loca ſepulchralia, velut ipſa prædia, quibus contigua erant, totius familiæ propria & hæreditaria erant, unde* **Attehagar & Attebackar** *vocabantur.* (r) Quoad praxin vero hodiernam, corpora Chriſtianorum, non tantum in cæmiteriis, verum etiam in templis ſepeliri, ſatis manifeſtum eſt; *Quod officium, non tam homini, id eſt, perſonæ, quam humanitati, hoc eſt, naturæ humanæ præſtandum*, ex Seneca (s) cenſet Grotius. (t) An recte? videſis Tomas. (u) *Honeſtam* tamen *ſepulturam* denegari volunt: I. Ex *malitia*, non *melancholia* ſibi ipſis manus inferentibus. Carpzow. (x) II. *Facinoroſis*, qui in reatu aut carcere ante executionem moriuntur, dummodo crimen confeſſi & convicti ſint. (y) Quorum corpora per carnificem extra locum religioſum abjiciuntur, diciturq; *ſepultura canina*. Vid. Menken. (z) *Inhoneſtam*, humanam tamen, hoc eſt, quæ ſine ceremoniis ſivè in cæmiterio, loco ſeparato inhoneſto, veluti ad parietes & in angulo aliquo, ſivè extra cæmiterium ignominiæ gratia, patiuntur I. *Excommunicati*, niſi pœnitentiam egerint. Ziegler. (a) *II. Blaſphemi impœnitentes.* Schultz. (b) III. *Verbi Divini ac ſacramentorum contemptores.* Carpzow. (c) IV. *Hæretici* Jur: Can. (d) Quod tamen vix hodie obſervatur, qræcipuè ſi non ſint pertinaces, ita tamen, ut de cæremoniis nonnihil remittendum, quod ſtabit dijudicationi Judicis Eccleſiaſtici. (e) V. *Uſurarii* manifeſti. (f) vid. Ziegler. (g) & Carpzow. (h) VI. *In torneamentis* ſeu congreſſibus illicitis pereuntes. (i) Quanquam vero *loca religioſa*, nimirum ob *Juris* quandam in illis *religionem*, (k) conf. Barn. Brisson. (l) ad *Res quaſi-Divinas* retulimus, undè nec temerè turbanda, nec contra Jus manium, ut dicunt, malè tractanda, aut corpora vel oſſa



*k*) Kyrckto-Ordning. *Cap. 26. §. VI.* *l*) *l. 6. §. 3. ff. de rer. diviſ.* *m*) *l. 73. ff. de cont. empt.* *n*) *l. 36. ff. de relig. & ſun. ſumpt.* *o*) *l. 6. §. 4. ff. de rer. diviſ. §. 9. Inſtit. eod. tit.* *p*) *l. 1. §. 7. ff. de mort. inferend. arg. tit. C. & ff. de relig. & ſumpt. funer.* *q*) *l. 5. ff. tit. cit.* *r*) *lib. 2. Cap. 25.*

*s*) *de Benef. lib. V. Cap. XX.* *t*) *de J. B. & P. lib. 2. Cap. 19. §. 2.* *u*) *Juriſp. divin. lib. 3. Cap. 10. §. 7. & ſeqq.* *x*) *Juriſp. Conſiſt. defin. 376. conf.* Grotius *de J. B. & P. lib. 2. Cap. XIX. §. V.* *y*) *ibid. defin. 379. & 378.* *z*) *addit. ad Juriſp. Rom.* Struv. *lib. 2. Tit. 1. §. 4.* *a*) *ad Inſtit.* Lancel. *lib. 2. tit. 24. §. 9. verb. præciſi.* *b*) *Synop. Inſtit. de Pub. jud.* *c*) *ibid. defin. 382.* *d*) *Cap. 2. de Hæret. in 6.* *e*) *ibid. defin. 378. & 383.* *f*) *Cap. 2. du Uſur. in 6.* *g*) *loc. cit. verb. Nec qui uſur.* *h*) *part. 2. q. 92. n. 32.* *i*) Ziegler. *diſſ. de eo quod juſtum eſt circa mortuos. Theſ. 27. ſeqq.* *k*) *l. 30. ff. de fam. erciſc. l. 14. §. 1. ff. de ſervit.* *l*) *de verb. ſign. in verb. Religio.*

ossa mortuorum extrahenda; cum sint ut inquit JCtus Modestinus, *Conditionis humanæ memoria*; (m) nihil tamen prohibet, quominus loca sepulturis destinata, quovis legitimo titulo alienari & adquiri possint. vid. Loccenius. (n) Licet veteres nostri Sveo-Gothi, in istiusmodi locis religiosis, ac majorum tumulis asservandis, admodum quoq; fuerint intenti; *Et familiæ suæ tumulos*, teste eodem, *tam charos habuere, ut cum alias Res immobiles vendidissent, hos tamen plerumq; retinerent; his autem venditis*, Allsalu *dicerentur, quod omnia sua alienassent, idq; esset signum conclamatæ rei familiaris, & desperatæ fortunæ, parumq; memoris majorum defunctorum animi.* (o)

§. VIII. Prioribus etiam annumeramus *Res sanctas*, quæ *sanctione* (p) *ab hominum injuria sunt munitæ ac defensæ.* (q) Nam quod *sanctione* subnixum est, id *sanctum* dicitur. (r) Hæc autem *Sanctio* nititur fundamento vel *Juris Gentium* vel *Civilis*; *Illo* personæ quædam tam amicorum quam hostium dicuntur *Sanctæ*, hoc est, inviolabiles esse: *quia eas violare nefas est!* (s) Hinc Bartolus dixit: *Legatos & Ambasiatores de Jur. Gent. habere securitatem, ut nemo eos impunè offendere possit, imo nec pro repressaliis capere ac detinere.* (t) Finito autem tempore legationis, privilegiis istis frui non solent. (u) *Hoc* verò 1. Civitatis *muri* ac *portæ*, *Sanctæ* dicuntur; (x) quia nemini horum violatio, si fit dolo malo & animo hostili est licita. II. *Leges sanctæ* nominantur. (y) *Pars enim ultima apud Rom. erat Sanctio legum*, inquit Gothofredus, *quâ certa pœna irrogabatur iis, qui præceptis legum non obtemperarint.* (z) Licet

*m) l. 27. ff. de cond. instit.* *n) Synop. Jur. diss. 5. Thes. 13.* *o) de Antiquit. Sveo-Goth. lib. 2. Cap. 25.* *p) l. 9. §. 3. ff. de rer. divis. & qualit.* *q) l. 8. in prin. ff. tit. cit.* *r) l. 9. §. 3. eod. tit.* *s) l. ult. ff. de legation.* *t) ad l. 1. ff. n. 2. ad l. 2. Jul. Majest. conf. l. 2. §. 3. ff. de Judic.* *u) l. 37. §. 1. ff. & 36. ff. ex quib. caus. major. l. 2. §. 4. ff. de Jud. l. 4. ff. de vacat. muner. l. 13. ff. de solut.* *x) l. 7. §. 2. ff. de acq. rer. dom. §. 10. Instit. eod. tit. l. 2. ff. ne quid in loco pub.* *y) §. Instit. tit. cit. l. 9. §. 3. ff. de rer. divis. & qualit.* *z) ad l. cit. ff. conf. l. 41. ff. de pœn.*

Licet adcuratè loquendo *Pœna* pars legis non sit. Quin autem Leges Naturales Sanctæ sint adpellandæ, nemo nisi extremæ impietatis dubitare audet, cum & Deum auctorem agnoscant, adeoq; immutabiles; tum etiam earum essentia consistat in bonitate intrinseca morali; an verô idem de leg. Civil. sit statuendum? inter omnes non convenit. Sententiæ negativæ cum Bacchov. subscribit Richter. (a) Si autem res meo staret judicio, utiq; nec dubitarem idem de Civilibus adfirmare, quod ut clarius adpareret, paululum hinc in gratiam B. L. excurrere, ac natales earundem legere placuit; postea tamen hanc digressionem, variaq; alia, nimium excrescens materiei hujus moles resecare, ipsiq; actui disputatorio reservare, jussit. Plurima etiam hisce Rerum sanctarum exempla adnumerat Müller (b), cum variis authoribus, qui de eisdem scripserê, quem L. B. si placeat, consulas.

§. IX. Quædam etiam *Res nullius* sunt, seu *extra patrimonium* ipso *actu*, ejus tamen conditionis, ut aliquando à singulis haberi possint ac regulariter adquiri. Tales sunt, quas II. diximus *Casu*; ut *Res hereditariæ*, quæ, antequam aliquis heres existat, nullius in bonis sunt. (c) vid. Gail. (d) & Carpzow. (e) III. *Naturâ*, ut *feræ bestiæ, pisces & volucres.* (f) IV. *Tempore*, ut in *Thesauro.* (g) V. *Facto*, ut *Res pro derelictis habitæ.* (h) Quid vero *Juris* circa harum *adquisitionem* sit, passim in sequentibus declarabitur. Breviter notandum: has tres species posteriores, sub considerationem hujus Cap. proprie non venire sed reverà, & quà tales, hoc est, abstrahendo à legibus Civil. extra omnem *Ex Instituto humano impositam moralitatem* esse, & sic *Nullius*. Reliquæ autem duæ, etiam *Nullius* dicuntur, & huc pertinent;

*a) Velit. Acad. 28. Thes. 11.* *b) Jurisp. elemt. disp. XV. Thes. V.* *c) l. 1. ff. in prin. de divis. rer. & qualit. l. 13. §. 5. ff. quod vi aut clam. l. 31. in fin. ff. de hered. Instit.* *d) lib. 2. obs. 130.* *e) Jurisp. for. part. 1. const. 28. defin. 8.* *f) l. 1. §. 1. ff. de acq. rer. dom. §. 12. Instit. eod. tit.* *g) §. 39. Instit. tit. cit. l. 3. §. 10. ff. de jur. fisc.* *h) §. 47. Instit. tit. cit.*

pertinent; reverà tamen *moralitate quadam extrinsecâ* veluti vestitæ, mediante qua, *Occupationi*, ut istæ, obnoxiæ non sunt. *Res* enim *Juris Divini*, nec *proprietate* nec *usu prophano*, ullius sunt *privati*, patent tamen hominum usui non promiscuo, id est, determinato; sic, *Rebus sacris* ad sacras, *Religiosis* ad humationem, *Sanctis* ad Civitatum defensionem utimur. *Res* verò *hereditariæ*, in *Dominio hereditatis* Jur. Civil. sunt, quô hereditas non dum adita, fingitur esse *Domina* (i) & *sustinere personam defuncti*, (k) ut per eam fictionem, *omnia Jura defuncti integra retineantur.* (l) Conf. DONELL. (m) Sunt ergo priores istæ omni ex parte, & secundum verbi proprietatem *Nullius*; hæ autem non item, sed tales ex *Instituto humano*. De *Rebus* tamen *hæreditariis* nonnihil supereſt difficultatis: contendit enim DONELLUS, etiam has, inspecta *veritate naturæ* & extra *fictionem Juris*, esse *Nullius*; tale nectit ratiocinium: *Non sunt defuncti, quia morte esse desiit; non hæredis, quia nondum hæres factus; non hæreditatis, quia hæreditas in rerum natura nihil est, intellectu tantum consistit?* (n) Verum, est heic quod ulteriorem meretur pensitationem: primum membrum facile concesserim, reliqua examinare placet. *Quod hæredis non sunt*, utpote *non aditæ*, verum est secundum hypothesin Jur. Rom. sic enim rescripsit GAJUS: *Res hæreditariæ, antequam aliquis hæres existat, nullius in bonis sunt.* (o) Sed fingitur interea ipsa *hæreditas Dominus* (p) & *Domina.* (q) Si

*i) l. 13. §. 5. ff. quod vi aut clam. l. 1. §. 1. ff. si is qui testam. l. 15. ff. de interrog.* GOTHOF. *ibid. l. 31. ff. de hæred. Instit. l. 13. §. 2. ff. ad l. Aquil. l. 43. ff. eod. tit. k) §. 2. Instit. de hæred. Instit. l. 31. ff. eod. tit. l. 116. §. 3. ff. de legat. 1 l. 34. ff. de acq. rer. dom. l. 138. in prin. ff. de reg. Jur. l. 9. C. depos. l. 28. ff. de stipul. servor. Instit. in prin. eod. l. 15. in prin. l. 22. ff. de Usucap. l. 22. ff. de fidejuss. l. 24. ff. de novat. l) arg. l. 1. & 2. ff. de acq. hæred. m) Comm. Jur. Civil. lib. IV. Cap. VII. n) loc. cit. o) l. 1. in prin. ff. de rer. divis. p) l. 15. ff. de interrog.* GOTHOFRED. *ibid. l. 31. ff. de hered. Instit. l. 13. §. 2. ff. ad l. Aquil. l. 43. ff. eod. tit. q) l. 13. §. 5. ff. quod vi aut clam. l. 1. §. 1. ff. si is qui testam.*

Si verò oculum ad Jus Nat. advertere placeret; relicta à defuncto hæredibus certè debentur. (r) Hinc JUSTINIANUS *Debitum naturale* vocat; (s) ad quem locum notat GOTHOFREDUS: *hoc diligentissime observandum esse, quidam enim negant in toto Jur. Civil. fieri mentionem Legitimæ, Jur. Naturali debitæ.* Quid autem vetat, quo minus etiam *debitum* (t) in bonis esse computem? quia plane nihil non est. Et, si vel strictè inhærendum verbis JCti esset: potuerim ne distingvere inter *Res hæreditarias* & *hæreditatem?* hoc est, *Jus* (u) *succedendi in jura defuncti.* (x) Largior tantisper, id est, vi dictæ hypoth. *Res hæreditarias esse nullius*, nonne tamen *Jus succedendi* in easdem hæredis est? haud ergo frustra dicitur ULPIANO, *Dominus hæreditatis*, (y) licet *hæreditas* sit nomen *Juris.* (z) Et hoc sufficit, *Res hæreditarias* non posse dici esse *extra omnem impositam moralitatem extrinsecam*, & *veritate naturæ Nullius.* Quod verò, *hæreditas in rerum natura nihil sit, sed intellectu tantum consistit?* Vix est ut gratis habeat: Important certè Jura amplius quid, quam ut extra conceptum concipientis nihil sint; ut rectè alio loco adversus eundem notat MÜLLER. (a) Neq; enim omnia, quæ in Jure consistere dicuntur, sunt tantum entia rationis, ita ut in rerum natura non sint, nisi quatenus mens circa eadem actu occupatur; sed *Res* hujusmodi *incorporales* in *Jure* consistere dicuntur, quatenus oppositam relationem ad corpora accipiunt: non quod revera & natura non sint, aut extra considerationem Juris non existant, sed quia à *Jure* quodammodo *existentiam* suam, id est, *certam ac definitam formam* acceperunt; cujusmodi potestate in



*r) l. 7. in prin. ff. de bon. damnat. vid.* GOTHOFRED. *ibid. s) l. 36. §. 2. C. de inoff. test. t) arg. 49. ff. de verb. sign. Conf.* GÆDD. *ad eand. leg. n. 4. & 13. u) l. 178. §. 1. ff. de verb. sign. Tit. Instit. de Reb. corp. & incorp. x) l. 24. ff. de verb. sign. l. 59. l. 62. ff. de reg. jur. y) l. 13. §. 2. ff. ad l. Aquil. z) l. 178. §. 1. ff. de verb. sign. Tit. Instit. de reb. corp. & incorp. a) Jurisp. elem. disp. XV. Thes. VIII. lit. Y.*

Rebus corporalibus exercenda, Jus Civile caret. Vid. Bachovius & Vinnius.(b)

§. X. A *Rerum divisione* ac consideratione secundum *Respectum pertinentiæ ad personas*, quatenus vel iisdem sunt aut fieri possunt obnoxiæ; ad Divisionem ac Differentiam *in se* spectatas, descendimus: quarum aliæ sunt *Corporales*, hoc est, *quæ tangi possunt*; (c) Sufficit enim ut *potentiâ* tangibiles sint, licet non semper *actu* tangantur. Schneidew. (d) Vultei. (e) Unde Lucretius; *tangere & tangi nisi corpus nulla potest res.* Sivè à *natura* demum sint productæ, sive ab *arte* efformatæ. Rachfl. (f) Quales sunt, domus, prædium, fundus, aurum & similia. *Incorporales* verò, *quæ tangi non possunt, sed in Jure consistunt*; quia, à Jure quodammodo suam existentiam, id est, definitionem ac certam formam acceperunt; & sunt potius *Relationes* seu *Qualitates morales*, quas Jus circa *Personas* & *Res corporales* produxit. Struv. (g) ut, hereditas, ususfructus, obligationes & similia. *Res corporales* vel sunt *Mobiles* vel *Immobiles*; *Istæ* sunt, *quæ integræ ac salvæ manentes, de loco in locum commodè transferri ac moveri possunt.* Sivè motus principium ipsis naturâ insit, & nominari solent *Res moventes*; ut animalia. (h) Sivè ab alio moveantur, & appellantur *Res motæ.* Quamquam autem hæc distinctio propriè pertinet ad *Res corporales*, per analogiam tamen ad *Res incorporales* seu Jura quoq; accommodari solet. *Rebus* enim *mobilibus* ista adnumerantur, quæ vel *Rei mobili* adhærent, vel ratione *Rei mobilis* competunt, & ad Rem mobilem petendam destinata; ut *actio ex mutuo*, atq; *nomina personalia.* *Rebus* verò *Immobilibus* ista Jura adhærent, quæ ratione earundem competunt; ut *actiones* quibus *immobilia* persequimur. Gail. (i) *Res immobiles* sunt tales vel *Naturâ, quæ moveri commodè non possunt*; ut fundus, Domus, & quæcunq; facto hominis

*b) ad Tit. Instit. de Reb. corp. & incorp. c) §. 1. Instit. eod. Tit. cit. l. 1. ff. de rer. divis. d) ad Instit. loc. cit. e) Jurisp. Rom. lib. 1. Cap. 62. n. 3. f) Jurisp. lib. 1. Tit. 28. §. 2. g) Jurisp. lib. 2. Tit. 2. §. 1. h) l. 93. ff. de verb. sign. i) lib. 2. Obs. 11. n. 10.*

nis vel natura solo firmiter adhærent. (k) Vel *Civiliter* tales, quæ iterum duplices; vel enim *Mobiles sunt suâ naturâ, ita tamen immobili adhærent, ut pro parte ipsius Civiliter inseparabili habeantur*: ut sunt accessoria ædium, ad perpetuum illarum usum destinata. (l) Carpzov. (m) Instrumenta sivè alia quæ ad fundi sivè prædii institutionem pertinent. (n) Machinæ & tormenta bellica, quæ ad castra sive fortalitia spectant. (o) Aut *Res incorporalis naturâ suâ indifferens, nec mobilis nec immobilis, Juris tamen Civilis fictione, pro immobili habetur*; eam ob causam, quod Rei immobili adhæret, & eodem cum re naturâ immobili effectu gaudet, eiq; hac ratione similis. vid. Mævi. (p) Gail. (q) Mollenbec. (r) & Müller. (s)

# CAPUT. III.

## *MODUM ORIGINARIUM*, ADQUIRENDI DOMINIUM, *JURE NATURALI* FUNDATUM, EVOLVIT.

### CONSPECTUS.

*I. Connexus materiæ: notantur Dd. qui* terminis Originariæ & Derivativæ Adquisitionis *favent, vel minus. Differunt* Modi Originarii, *ab ipsa* Adquisitione Originaria *in genere. Indicandum cujus* Juris authoritate *fundantur*; *qui* Duo *deinde adstruuntur, nempe* Naturalis & Arbitrarius. *JCti Initia rerum respicere adsolent.*

*II.* Modus Originarius immediatè *ex* Jur. Nat. unicus *descendit nempe* Occupatio: *quæ definitur*



*k) l. 10. ff. quod vi aut clam. l. 44. ff. de rei vind. l. 17. & 18. ff. de act. empt. l) l. 13. §. fin. l. 17. ff. tit. cit. m) part. 2. constit. 33. defin. 20. n) l. 17. §. 2. ff. de act. empt. l. 8. l. 15. ff. de Instru. vel instrum. leg. o) l. 13. §. fin. ff. de act. empt. p) ad Jus Lubecens. lib. 3. Tit. 5. art. 5. n. 8. q) lib. 2. Obs. 10. n. 1. r) Divis. Jurid. cent. 1. divis. 32. add. 2. s) Jurisp. elem. disp. XV. Thes. VIII.*

*definitur & ejusdem* Postulata Essentialia, *videlicet* Corporalis adprehensio & Animus habendi, *proponuntur. Cui obnoxiæ sunt Res, quæ* omni Jure Nullius: *quod LL. & consensu Dd. firmatur.*

*III. Inter* Occupationis *species est* Venatio: *quæ Jur. Nat. omnibus licita: huic tamen multum hodiè LL. Civil. detractum;* Et Regalibus *adnumeratum. Mores Jus mutare valent.*

*IV. Jus venandi in fundis privatorum Majestati ex* Jure Superioritatis *competit: nec ullâ Injuriâ hoc ipso afficiuntur Cives: multò minus Lex Naturæ mutatur.*

*V. Occupans feram in fundo alieno suam non facit: quod contra communiorem Dd. opinionem adseritur.* Gudelino & Zieglero *foventibus cum aliis contrarium respondetur. Quæ fiunt contra leges, pro infectis habenda. Dominium non adquiritur nisi* Justus *præcedat* Titulus.

*VI. Dominus fundi feram in suo captam à b. f. emptore vindicare potest. Res furto ablata non est redimenda pretio. Notatur* Loccenius *in versione Leg. cujusdam Pat. Movetur etiam & solvitur dubium.*

*VII. Eò minus in sylva aliena circumsepta venari, aut stagno piscari, licet. Sententia Dd. Jur. Rom. circa occupationem ferarum limitatur.*

*VIII. Feram in suo fundo excitatam, & in alienum excurrentem insequi licet: si fiat innoxiè & in continenti; volunt tamen quidam, ad consvetudinem venatorum heic ut attendatur.*

*IX. Bestiâ vulneratâ, an statim nostra sit?*

*X.* Inventio *est species* Occupationis: *huc non pertinent* Res casu deperditæ; *sed sunt domino, si adparuerit, restituendæ, sin' minus naturaliter ab inventore retineri possunt. Nec* Necessitate projectæ: *nemo enim jactum facilè præsumitur.*

*XI. Leges Civiles bona uaufragorum Fisco addicentes, an et quatenus Justæ? Afflicto non est addenda afflictio.*

*XII. An Dominus tenetur præmium inventionis, inventori dare?* Differunt heic LL. Pat. & Rom.

*XIII. Res, quæ vel* nunquam alicujus fuêre; *vel* alicujus esse desivêre, *propriè ad* Inventionem *pertinent: ad hasce referuntur Res vacantes,* Dana-arff: *quæ moribus hodiernis, æquè ac istæ ad fiscum pertinent. Item,* Res derelictæ, *de quibus* §. *XVI.*

*XIV. Quid pro* Thesauro *habendum sit determinatur. An pecunia inventa in re empta sit* Thesaurus? *& An emptori cedat? Cujus exempla ex* Jasone & Carpzovio *afferuntur.*

*XV. Thesaurus naturaliter fit inventoris: nec opus ut cum* Ziegiero *aliisq; aliter statuatur. Quid verò secundum Jus Rom. obtineat ostenditur: & remissivè ad LL. noviss. Pat. provocatur.*

*XVI. Necessaria requisita circa Res pro derelictis habendas ponuntur: scilicet,* ne fiat animo gratificandi aliis: *Dein'* ut Dominium sit amissum, & Possessio omissa; *postremum tamen requiritur saltem de* Jure Civili *non* Naturali; *quod dubitandi ratione & adeandem decisione propositis, demonstratur.*

*XVII. Bestiæ, nostrâ egressæ custodiâ & libertate naturali recepta, denuo occupantis fiunt: & Authoritas Jur. Rom. contra* Grotium *vindicatur. Donec tamen recuperationi sint probabiliter obnoxiæ,* Dominium *earum conservari possit* nuda detentione potestativa, *nec* actuali *opus sit, adseritur adversus* Zieglerum.

§. I. Operâ succinctâ iis, quæ vel ad meliorem cognitionem *Differentiæ* ac *Qualitatis Rerum;* vel quid Juris privato cuiq; circa easdem competere visum est, prælibatis: viæ semel destinatæ insistere, debiti nostri erit, &, *Modos Dominii adquirendi* insectando, vires ingenii in sequentibus ut periclitemur. Quemadmodum itaq; ævi recentioris Dd. Grotius, (a) Pufend. (b) 'A Felde, (c) Stryk. (d) Albert. (e) 'A Ryssel, (f) & alii; dissentiente licet ab eis, post Hahnium, (g) Richtero, (h) *Adquisitionem* faciunt duplicem, *Originariam* aliam, aliam *Derivativam*: sic *Modos originarios* distinctè ac præcisè, ab ipsa



*a) de J. B. & P. lib. 2. Cap. 3. b) de J. N. & G. lib. 4. Cap. 6. §. 1. c) Elem. Jur. Univ. part. 5. Cap. 12. Memb. 2. art. 2. §. 1. d) Volum. 2. diff. 12. Cap. 3. n. 2. e) Comp. Jur. Nat. part. 2. Cap. 7. §. 11. f) de J. N. & G. Cap. 14. §. 23. g) ad* Wesenb. *parat. de acq. rer. dom. n. 8. h) Velit. Acad. 28. Thes. 17.*

*Adquisitione originaria in genere*, nobis perpendere placet; qui, ut in *facto humano*, *proximè* ad *Dominii adquisitionem* faciente, consistant, cum necessum sit: Ita indicandum juxta, prælucente exemplo JCti PAULI, (i) cujus *Juris authoritate* fundantur; quod *Adquirenti Jus in re* (k) *immediatè tribuere*, hoc est, *istam citra intuitum alicujus personæ, Rem alias debentis, divinctam reddere valet.* (l) Esto igitur *Modus Originarius* vel *Naturalis* vel *Arbitrarius*: *Naturalis* est, *qui Adquirenti sufficientem ac legitimum Titulum*, (m) *Causamvè*, (n) *ad Dominii constitutionem, absq; subsidio Legum Civilium immediatè præbet. Arbitrarius* est, *qui Adquirenti Titulum Causamvè, non* immediatè, *ex* Jure Naturali, *sed interveniente authoritate* Juris Arbitrarii, *subministrat.* Dicitur autem *Naturalis*, non quod meram Naturalem rationem, in specialium casuum exindè resultantium deductione ac decisione, in posterum sequamur: sed quod immediatè ex sola Ratione naturali, Domino seu adquirenti jus nascitur, in se, adversus quemvis extraneum seu non-dominum, valiturum, si vel maximè non accederet authoritas Juris Positivi; *Nam cui Naturali Jure Dominium adquiritur*, inquit CUJACIUS, *Juris Civilis suppetitiæ necessariæ non sunt.* (o) Et, quid Juris circa hunc *Modum*, quà usum hodiernum, Naturalis, quid Positivi, in simul ut dispiciamus. Pari etiam respectu *Arbitrarius* appellatur; non quod in totum à Jure Naturali recederet, eiq; contrariaretur: sed, quod Naturalis ratio non immediatè robur huic addit, adversus quemcunq; alium valiturum, verum multa Juris Positivi ac Arbitrii humani adminiculo admixta, præterq; naturam constituta,

*i) in prin. l. 23. ff. de rei vind. k) arg. l. 30. ff. de noxal. act. l. 19. in prin. ff. de damn. infect. l. 3. ff. in prin. de act. & oblig. l. 2. in prin. ff. de poll. l) conf.* BARBOSA. *axiom. lib. 3. Cap. 44. axiom. 1. & 2.* ECKOLT. *ad ff. tit. de rer. divis. & qualit. §. 2.* MÜLLER. *Jurisp. Elem. disp. XV. Thes 1. lit. B.* RACHEL. *Jurisp. lib. 2. Tit. IV. Thes. 2. m) l. 26. ff. de aq. & aq. pluv. arc. n) §. 40. Instit. de rer. divis. l. 31. in prin. ff. de acq. rer. dom. o) ad Instit. de rer. divis. §. 35. in verb. Naturali Jure.*

ta, deprehendantur; absq; cujus vi alias vix suo gauderet effectu. Quapropter ad morem JCtorum, qui *originem ac initium rei* inspicere adsolent: (p) add. BARBOSA, (q) denominatio nobis à potiori ac priori deducenda fuit.

§. II. *Modus Originarius Jure Naturali subnixus* est *Occupatio, quæ Rei habilis, animo propriam habendi, corporalis est adprehensio.* Heic autem ex in prioribus dictis repetendum: hunc *Adquirendi modum*, nullum circa *objectum occupabile consensum* aliorum prærequirere vel simul involvere; eô, quod nemini *Jus* aliquod circa idem est *actu adquisitum*: sed sufficit negatio Juris seu non-Jus alterius cujuscunq;, quo alias præsente, *occupatio* impediretur. Addimus præterea, *Rem* debere esse *habilem*: hinc requisitum I. Ut talis sit *moraliter*, hoc est, quod *Justè* occupari possit, injuriam citra reliquorum: violatur autem hoc *Jus* ex *Socialitate debitum* alteri, si res natura sua præberet usum, omnibus hominibus sufficientem. *Finis* enim primarius *Dominii introducendi* hic est; ut *omnibus dissidiis via præcludatur.* conf. GEORG. MOHR. (r) *Quo fine cessante, cessare etiam debet actus.* (s) Exemplum forsan istiusmodi *Rei* desiderantes, ex controversiis super imperio *Maris* à GROTIO & SELDENO agitatis, capiant; quorum ille *Mare liberum* hic verò *Clausum*, defendere sunt ausi, sicq; amor Patriæ, alterutrius rationum ponderi prævaluerit, facilè quid condonandum, aliicq;, quos inter adcuratus satis videtur 'A RYSSEL, (t) adeundi. II. Requisitum adpono, ut talis sit *sua naturâ & Physicè:* ubi Tria concurrant; (α) Ut *Res*

*p) arg. l. 12. ff. de SCto Maced. l. 1. §. 30. ff. depos. l. 58. §. 2. ff. pro socio. l. 15. ff. de neg. gest. l. 8. in prin. ff. mandati vel cont. l. 8. in prin. ff. quod vi aut clam. l. 7. C. eod. tit. l. unic. C. §. res vero, De imponend. lucrat. descript. q) axiom. lib. XIV. Cap. 101. axiom. V. r) Tract. de Jur. [illegible]nandi, part. 1. Cap. 2. n. 49. s) arg. l. 6. §. 2. ff. de Jur. patron. l. 40. ff. de hered. instit. l. 52. §. 1. C. de Episc. & Cleric. l. 6. C. de pact. int. empt. & vendit. Conf.* BARBOSA. *axiom. lib. III. Cap. XII. axiom. V. t) de J. N. & G. Cap. XIV. §. 12. & seqq.*

*Res, usum aliquem mediatum aut immediatum præbere possit.* Nam ineptum valdè ac supervacuum foret, ista sibi adpropriare velle, unde nihil vix in se utilitatis redundaret. (β) *Ut naturâ suâ sit adprehensioni obnoxia.* Alias enim contra Legem Naturalem, scilicet, *Ultra vires non nitendum*, vid. PUFEND. (u) & THOMAS. (x) committi videretur. (γ) Ut *Custodia coerceri queat.* Insinuat enim *Dominium Jus excludendi alios à Re*, utile autem hoc *Jus* esset, nisi in *exercitium* & *actum* deduci potuerit; quod impossibile videretur, si *Res* tantæ esset vastitatis, ut quis *Rei terminum* vix sciret: adeoq; vel eô invitô reliqui ex Re tali participarent. Specialia autem in *Occupatione* sunto postulata: *animus habendi* cum *corporali adprehensione*, (y) *conjunctim.* (z) Quorum intermisso altero, *Occupatio* mutila est ac manca. *Titulum* (a) heic seu *Causam* (b) non tango: quia *Essentiam occupationis* non ingreditur, cum *præcedat.* Removeas ergo *adprehensionem*, & *voluntas in mente retenta nihil operabitur*; (c) quia hæc *actui hominum non accommodatur*: BARBOSA. (d) Ratio, quod *cogitatio mea nemini immediatè innotescit, nisi mediantibus signis externis.* Conf. STRYK. (e) Et hoc est quod respondit JCtus, *Dominia rerum ex naturali possessione cæpisse.* (f) Removeas itidem *voluntatem & animum habendi*: & *Dominus Rei* non evades; quia, *Dominium invito non auferetur*, (ff) ergo nec invito adquiritur. *Cum eadem contrariorum ratio.* (g) Add. BARBOSA. (h) *Inconveniens enim esset*, inquit

*u) de J. N. & G. lib. 2. Cap. 4. §. 8.*

*x) Jurisp. lib. 2. Cap. 1. §. 32. Item Cap. 9. §. 132. y) l. 3. §. 1. ff. de acq. poss. z)* GOTHOFRED. *ad eand. leg. cit. a) l. 26. ff. de aq. & aq. plu. arc. b) §. 40. Instit. de rer. divis. l. 31. in prin. ff. de acq. rer. dom. c) arg. l. 19. ff. de usu & usuf. leg. d) Axiom. lib. XIX. Cap. XLII. axiom. XXXI. e) Volum. 2. diss. XV. Cap. 1. n. 17. f) l. 1. §. 1. ff. de acq. poss. ff) l. 25. §. 1. ff. solut. matrim. quemad. l. 9. §. 1. ff. de Jur. dot. l. 9. ff. de impens. g) arg. l. 1. in prin. ff. de his qui sui vel alien. jur. In prin. Instit. eod. tit. Instit. in prin. de tut. l. ult. ff. §. fin. de lagat. 3. l. 38. §. 5. ff. de verb. oblig. l. 32. ff. de reg. jur. l. 32. vers. cum enim. ff. ad leg Aquil.* GOTHOFRED, *ibid. lit. E. l. 35. in fin. ff. de vulg. & pupill. substit. b) Axiom. lib. III. Cap. LXXXVII. axiom. XIX.*

inquit PUFEND. *ut Res, substantia sua physica à me separata, mihi velut adjungatur, ni voluntate & consensu meo eandem amplexus fuerim.* (i) Cum verò *Objectum Occupationis*, tam *Res immobiles*, quam *Mobiles* constituant, diversa propterea *ratione*, id est, *facto*, utræq; adquiruntur; adeoq; tanquam *factum proximum* in *Immobilibus* est *Ingressio* seu *Insistentia Rei*: in *Mobilibus* autem in specie dicta *Adprehensio.* Conf. GROT. (k) Necessarium etiam est, *Res occupandas* ita affectas esse debere, ut *capaces sint Occupationis.* VINN. (l) Multa enim *nullius Privati in bonis sunt*, eo tamen deducta, *antecedente facto* aliquo *humano*, ut nec occupari possint. MYNSING. (m) Quibus suppositis, merito locum sibi regula ista vendicat; *Quod nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur.* (n) Et, ut inquit QUINTILIANUS? (o) *Quod natura commune finxit, id industriæ voluit esse præmium.* Conf. OLDENDORP. (p) Pulchra etiam sunt quæ tradit DONELLUS: *Sic enim fit*, ait, *ut naturali ratione res fiat occupantis, si in ea occupanda nihil detrahitur alteri: ac tum nihil detrahitur, cum in ea omni Jure nihil est alieni; quod si vel res ipsa, vel in re est aliquid alterius, ea occupari non potest sine injuria alterius, cui ea occupatione suum adimitur. Quod Naturalis & Civilis ratio, ac prima præcepta juris (q) prohibent.* (r) Add. STRYK. (s) & STRUV. (t) Nos plenius ita efferimus: *Quicquid omni Jure Nullius est, aut nunquam alicujus fieri debet: aut Primo occupanti cedit.* Isthoc autem liquet; veluti *Modus* hic, saltem *unicus originariè*, ex *Jur. Nat. immediatè*, descendit: fie etiam eundem antiquioribus temporibus, fuisse usitatum, certò credimus. Ita tamen, ut non *Singulæ Res* jam *Dominio subjectæ, unico* tanquam *actu*, *proprietatem* subjissent: sed *paulatim* ac *successivè* pro multiplicatione generis humani, &, ut Pax & tranquilli-



*i) De J. N. & G. lib. IV. Cap. IX. §. 2. k) de J. B. & P. lib. 2. Cap. 8. §. VI. l) ad Instit. §. 12. de rer. divis. m) ad Instit. tit. cit. & §. n. 4. n) l. 3. ff. de acq. rer. Instit. §. 12. eod. tit. o) 13. Declam. p) Action. forens. Class. 3. de acq. rer. dom. Conf.* MYNSING. *loc. cit. n. 3. q) l. 39. ff. de neg. gest. l. 2. ff. de his qui sui vel. alien. jur. l. 10. ff. de Just. & jur. r) Comm. Jur. Civil. lib. IV. Cap. 7. s) Volum. 2. diss. 12. Cap. 3. n. 5. t) Syntag. Jur. Feud. Cap. 1. Aphor. 1. n. 2.*

quillitas ejusdem postularent. Præterea, sicuti olim in *statu naturali*, hoc est, *Æqualitatis Patrum familias segregum*: ita etiam hodiè, quam in *Naturali statu*, hoc est, qui inter *Civitates diversas* remansit, tam in *Civili*, nisi quatenus per LL. Civil. aliter constitutum, *Occupatio* in *Rebus*, quæ sunt *Nullius*, sibi vendicat locum. Non enim in meliori, præ nobis, vixerunt statu. Et, si *Res* in eodem *statu*, id est, *Nullius* constitutæ sint, non potest non idem utrisq; licere. Neq; tamen hinc metuendum: *summam sic confusionem generis humani, à Jur. Nat. introduci, si Res singulæ ita primis temporibus Occupationi paterent*: &, quasi *Præda* quædam *Publica*, ut loquitur ALBERT. *pro lubitu deripi possent?* (u) Finge enim, ab initio mundi, tantum hominum numerum extitisse, quantus ad possidendum terrarum orbem fuisset requisitus: moraliter certum esset, non potuisse non, summam confusionem ac statum funestissimum oriri, si *singulis Occupatio* concederetur. Et, quod Rectæ rationi tum non convenientius fuerit, ut *Res* à *multitudine* aliqua *prius Occupatæ*, per *Adsignationem* dein' *Singulis*, *suum* quid, constitueretur. Sed, suppositum tale, summo ut jure negamus, neq; pro vero acceptamus: ita conclusio nostra, firma stabit ac immota; *Quod Nullius est occupanti cedit.*

§. III. *Occupationem* in *duas* dividere placet *species*: in *Venationem* nempe & *Inventionem*. *Venatio* est *occupatio animalium, quorum natura fera est.* (w) Sumitur autem hoc loco vocabulum *Venationis*, *generaliter*, quatenus tam *Venationem* in *specie* dictam, cujus adæquatum objectum feræ bestiæ absolvunt, quam *Piscationem* & *Aucupium*, includat. Animum idcirco oculumq; ad *Naturæ legem* advertentes, adstruere vix dubitamus, quin ejusdem permissu ac indultu, omnibus licitum bestias ac animalia quævis fera insectari, ac quantum necessarium sit, privato subjicere dominio. *Licitum* seu *permissum* dico: nollem enim heic cum quibusdam distingvere Legem Naturalem in

*u) Comp. Jur. Nat. par. 2. Cap. VII. §. 18.* *w) l. 1. ff. de acq. rer. dom. §. 12. Instit. eod. tit.*

in *Obligativam* & *Permissivam*: utut JC. MODESTINO dicatur, *Permittere*, *virtutem legis* esse. (x) Quam sententiam etiam SELDENO (y) placuisse miratur RACHELIUS. (z) Egregiè enim GROTIUS: *Permissio propriè legis actio non est, sed actionis negatio.* (a) Quia, *quæ lex permittit, illa neq; præcipit neq; vetat, adeoq; circa eadem nihil agit.* PUFEND. (b) *Permissionem* igitur *legis* potius, quam *permissivam legem* adpellarim: & hanc quidem *Plenam*, hoc est, talem, quæ non tantum *impunitatem à pœna*, aut *libertatem ab impedimento*, aut *utrumq;*: sed quæ *amplius* (c) *quid*, hoc est, *Jus dat omnino licitè agendi.* Quâ ita explicatâ, necessarium non duco, cum GUIL. GROTIO, *Concessionem legis, plus aliquid* esse, quam *Permissionem*, (d) statuere. Verum enimverò, quanquam *Lex Civilis*, dicente GROTIO, *nihil potest præcipere, quod Jus naturæ prohibet, aut prohibere quod præcipit, potest tamen libertatem naturalem circumscribere & vetare, quod naturaliter licebat.* (e) Neq; illud repugnante veritate: patet enim, *Jus naturæ* sic accipi pro *Potestate ac facultate hominum morali ad quid agendum*; quod *Omne*, *mutabilitati esse obnoxium*, rectè adserit THOMASIUS. (f) Hinc quoq; factum, ut non parum huic *Juri*, *circa adquirenda Rerum Dominia Occupatione*, detractum; & veluti in specie ejusdem altera, ita etiam in *Venationibus*, magna pars moribus hodiernis, *Juri Regalium* accenseri, constat. Vid. STRUV. (g) GRYPHIAND. (h) LOCCENIUS, (i) & STIERNHÖÖK. (k) Nec juvat, nosmet ut contradictionis arguas? Juxta initium enim discursus nostri dictum: *Jus* idem præsenti in negotio denotare, ac si dicerem: *Potestas mihi competit, certum actum exercendi, à cujus exercitio nemo*



*x) l. 7. ff. de LL.* *y) de J. N. & G. juxt. disc. Hebr. lib. 1. Cap. 8. sub fin.* *z) Diss. 1. de J. N. & G. Thes. XXXIV. Conf. Instit. Jurisp. lib. 1. Tit. IX. Thes. XII.* *a) De J. B. & P. lib. 1. Cap. 1. §. IX.* *b) De J. N. & G. lib. 1. Cap. VI. §. 15.* *c) GUIL. GROT. de prin. Jur. Nat. Cap. II. §. VIII. sub fin.* *d) ibid. §. X. in fin.* *e) De J. B. & P. lib. 2. Cap. 2. §. 5.* *f) Jurisp. divin. lib. 1. Cap. 1. §. 132.* *g) Synt. Jur. Feud. Cap. 6. aphor. XXVIII.* *h) De Insul. Cap. IX. n. 41. Cap. XI. n. 31.* *i) Exercit. Jur. diss. 6. Thes. 17.* *k) De Jur. vet. SVEO-GOTH. lib. 2. Cap. 8.*

*me impedire debet*: quâ ergo salvâ fronte, heic contrarium profertur? Verum enim illud est in *Thesi*, fallit tamen in *hypothesi*. Vel, distingve *Statum Naturalem* â *Civili*, & largiar postulatum. Et, tollas legislatorem ac Imperantem, absq; limitatione firmum stabit ac immotum: Ut *quilibet regulariter sui conservationem quærit, ita quilibet liberrimus suæ utilitatis moderator ac dispensator.* Satis namque eleganter & acutè, pro suo more solito, *Illustriss. Senator Dn*: RÅLAMB: **Ehurnwäll Gud och Naturen / hafwer underkastat diuren alla Menniskors wälde: Så hafwer han doch underkastat alle menniskor Konungen / efter Lagh at styra. Och såsom Lagen på wiß tijd om åhret tillstädier Undersåtherne / at jaga på sine egne och icke annors ägor / men icke i oskifft skog / leya eller låfwa någon jaga / utan Jordägandernes samtyckio: Så är lijkwäll Konungens Rätt / Undersåthernes så at restringera och lämpa / till et rätt bruk / at icke Undersåtharne / af deras Rätt giöra et mißbruk.** (l) Aliud ergo est, *Jus* isthoc *Naturale, certo modo, restringere*: aliud *planè tollere*. Juxta LL. vero Rom. *parum aut nihil interest, num feram quis in proprio fundo, an in alieno capiat, qui verò fundum alienum ingreditur, venandi, aucupandiq; gratia, potuerit à Domino, si is præviderit prohiberi ne ingrediatur, quicquid autem eorum ceperit, eo usq; ipsius esse intelligatur, donec custodiâ coercetur, cum vero evaserit, & in naturalem libertatem se receperit, proprium esse desinit, ac iterum occupantis fit.* (m) In tantum tamen limitatum, ut si quis, Domino prohibente, nihilominus ingrederetur *actione injuriarum* teneretur. (n) Proinde, qui in sua sylva feram, avem, aut in stagno piscem capit, non propriam feram nec piscem capit, sed hoc ipso *Dominium* sibi *occupatione* adquirit: similiter, qui in agro Titii aprum, vel in stagno piscem capit, non proprium Titii aprum aut piscem, sed quod Jure Nat.

*l) Obser. Jur. pract. lib. 1. Cap. 2. obs. VI. n. 4. m) l. 3. §. 1. & 2. ff. §. 12. Instit. de acq. rer. dom. n) l. 13. §. fin. ff. de injur.*

Nat. antea nullius esset, in Dominium capientis transit. (o) Quod verum de Jure Antiquo: vid. Ludwel. (p) Hodierno autem aliter observari, ac *Mores* (quod fieri posse, Julianus, (q) Ulpianus, (r) Hermogenianus, (s) & Paulus (t) cum Justiniano (u) rescripsêre) *Jus Rom. subegisse*, testantur Cujacius (x) & Gothofredus; (y) adeoq;, *ne in flumine quidem Publico piscari, neq; in agris liberè venari aut aucupari licet.* Nec aliter de Jur. Saxonico: (z) & per constitutionem D. Augusti Electoris Saxoniæ de A.° 1555. **Daß keiner auf des andern Grund und Boden Jagen sol** etc. **bey** pœn 100 **Gülden.** Deniq; progressu temporis, *Venatio* Privatis permultis in locis planè ademta: ut, ne Nobilibus quidem propriis in Sylvis venari, & apros similesvè feras **Hohes Wildt** / capere liceat: nisi expressæ in Literis Investituræ venationes sint concessæ **daß ihnen die hohen Jagten außdrücklich verliehen sind;** Rationem addit Müller: quia, *generali concessione non transeunt ea, quæ Princeps vix specialiter alicui concedere solet.* (a) Add. Schultz, (b) Struv. (c) & Carpzov. qui eandem D. Augusti Sanctionem in argumentum trahit; ita tamen, ut in foro Saxon. *venationem* in *fundo alieno, præscriptione immemoriali*, adquiri posse existimat; sensumq; horum: **Daß ein jeder mit Jagen / Hetzen / und Weidwerk zu treiben / uff seinen / und seiner Leute Eygenthumb bleiben / und eines andern Güther / damit nicht berühren sol / ungeachtet einiges Fürwendens / daß es hergebracht und in Brauch gehalten /** etc. Sic limitat: distinctione scilicet factâ, inter *Præscriptionem Statutariam* Jur. Saxon.



*o) l. 62. in prin. ff. de usufr. p) ad Tit. Instit. de acq. rer. dom. §. 12. sub fin. q) l. 32. ff. §. 1. de LL. r) l. 33. tit. cit. s) l. 35. ff. ibid. t) l. 36. ff. eod. u) §. 9. Instit. de J. N. G. & C. x) lib. 4. Obs. Cap. 2. ad fin. y) ad l. 3. §. 1. ff. de acq. rer. dom. z) Landr. lib. 2. art. 61. a) Jurisp. Elem. Disp. XVII. §. 2. lit. A. b) ad Instit. §. 12. de acq. rer. dom. lit. H. c) Jurisp. Rom. lib. 2. Tit. 1. §. 22.*

xon. annonum XXX, anni & diei, de qua audienda, & inter *Præſcriptionem immemorialem*, ad quam non extendenda; & hanc ſuam ſententiam, Præjudicato quodam ſtabilire, conatur. (d) Conf. CASTEL. (e) LL. autem Patriis in aliena Sylva venari nec permiſſum, ſequentia monſtrant: **Nu far man i Skog annars med gildrom / effter foglom eller diurom / tå giftwi åter Skogz-ägaden det han der fick med ſemio eller ſwornom ede / effter thy det wärdt är.** (f) Hinc tamen excipitur: **Biörn / Warg och Rääff må hwar man alla ſtadis åth ſaklöſo dräpa.** (g) Et, ex Jur. Noviſs. additur **Loo och Mård / ſampt fogel ſom ſkada giöra / ſåſom allehanda Slagehöök / Glada / och deras lijka / ehwaråſt en dem finna kan.** (h) Adeoq; LL. inter *ferarum genera noxia* ſeu *pernitioſa* **Uråflediur** (i) & *minus noxia*, diſtingvunt. Iſtorum venationem omnibus conceſſam, horum non item facientes. Imo, nec promiſcuè licet Domino in proprio fundo, niſi tempore à LL. præfinito, quin ſpeciali privilegio munitus fuerit, eoq; excepto, quod præcipuè propagationi ac fæturæ ferarum indulſit natura. (k) *Ne ſpecies earum penitus exſtirpentur.* LOCCEN. (l) *Feras* verò *Majores*, **Höghdiuur** / item *Fundos Regios*, quales ſunt ſpecialitèr, **Öland / Åland / Billingen / Kinneſkoga / Edzmehren / Hunne- och Halleberg / eller och något annat ſtycke / twiſd ett eller annat Slått afmärkt:** S.ª REGª. MAJESTAS ſibi reſervata habet; niſi ex ſpeciali indultu, hoc Privato cuidam admittatur. Contraveniens dicitur **Berſa i Konungz Parkom** / h. e. **Jaga i Konungz enſkylloga ägor.** (m) Hinc

d) *Juriſp. for. part. 2. Conſt. 3. defin. 25.* e) *Spec. Jur. Cap. 25. n. 301.* f) Bygn. ℔. *Cap. 20 & 24.* g) *Cap. 21. tit. cit.* h) *Conſtit.* REG. *de Venat. & Aucup. de Ao. 1647. §. 14. Item de Ao. 1664.* i) *Cap. 36. §. 1.* BygB. öſtl. k) *Vid. §. 2. dict. Conſt. Item Cap. 23. §. 2. ad fin.* BygnB. ℔. *tit. cit.* l) *Synop. Jur. diſs. 5. Queſt. 4.*

(m) Hinc etiam Veter. dictum: **Egh magho Böndir Rätaka / uthan ther hätin widh thrim markum / ty at hon är Kununge diur.** (n) Excipiuntur tamen **Daal i Wäſter-Giötland / Wärmeland / Dalarne i Bergzlagen / Noorlanden och Finland / hwilkas Inbyggare effterlåtit är / them i Laghlig tijd at fälla.** (o) Quid Juris præterea ſit circa capturam piſcium & aucupium, item Apium, paſsim in LL. (p) patet.

§. IV. Hiſce facilimum colligitur: libertatem iſtam circa *Occupationem ferarum*, certo modo ubiq; ferè locorum eſſe reſtrictam, ac *Jus* illud *venandi*, in Summos Imperantes tranſcriptum; quo autem *Jure* in *fundis Civium* venari ſibi arrogarint, non una eademq; Dd. eſt ſententia: quibusdam *Præſcriptionem*, *Occupationem* aliis, obtrudentibus. Nobis tamen neutra rem conficere videtur. Non illa: quia, Communi Jur. Rom. locum non obtineat in iis, quæ Juris ſunt Gentium, (q) conf. WESENB. (r) quale ex hypotheſi, eſt *Jus capiendi feras.* (s) Neq; hæc: utpotè quæ ab *actu* aliquo *corporali Naturaliter* initium ſumit, ſi per eam *Dominium* adquiratur; talis autem actus non ſemper adparet, & nihilominus Summi Imperantes, feras ab aliis etiam captas vindicandi Jus habent. Tutiſsimum ideo relinquitur, ſi *Juri Superioritatis* ac *Eminentiæ* hoc adſcribatur. Vid. GUDELIN. (t) ECKOLT. (u) & TIMÆ. FABER. (x) Nec neceſſum eſt, ut cum HAHNIO poſt BACHOVIUM, diſtingvatur inter *Loca Publica* & *Privata*: *Iſtorum* reſpectu Nobis adſtipulatur, *horum* verò *Præſcriptionem* requiri contendit. *Quod ſcilicet, per prohibitiones inſecutas, quibus non contradixerint Privati, hoc Jus ad*

m) KongB. ℔. *Cap. 34.* n) *Cap. 36. §. 6.* BygB. öſtl. o) *Dict. Conſt. §. 1.* p) *Vid. eand. Conſtit. §. 10 & 11. Item* BygnB. ℔. *Cap. 20 & 25. §. 1. Cap. 39. §. 1. Tit. cit.* q) *l. 45. ff. de Uſucap.* r) *Parat. cit. tit. n. 10.* s) *l. 1. ff. de acq. rer. dom. §. 12. Inſtit. eod. tit.* t) *De Jure Noviſs. lib. 2. Cap. 2. §. planè huic Juri.* u) *ad Tit. ff. de acq. rer. dom. §. 15.* x) *Diſp. anniverſ. 14. Coroll. 3.*

*ad Principes sit translatum.* (y) Quasi verò, *Jus sit Civibus Imperantium prohibitionibus contradicendi?* nullâ enim hac ratione injuriâ afficiuntur: nam, *quod feræ bestiæ sint communes, id tamdiu verum est, quamdiu lex Civilis nulla intercedit, justè autem intercedere potest, & naturalem libertatem circumscribere, atq; Dominium naturaliter adquirendum, vi sua antevertere.* GROT. (z) Neq; putandum, hoc ipso ab Imperantibus vim LL. Nat. inferri: quia, prohibitio seu restrictio isthæc talis *actus* non est, qui pugnat cum *natura* hominis *rationali-sociabili.* Quin potius eandem validè promoveat. Non obstante hoc, quod *Occupatio ferarum dicatur Juris Naturalis esse?* (a) Aliud enim est, *à LL. Naturæ esse*, cujus maxima vis in obligatione, *solùm ad agendum* hoc est, vel ad *actus exercitium* vel *omissionem*, consistit; & aliud est, â *Jure Naturæ esse*, hoc est?, quod natura permittit & non resistit, sed indifferenter se habet, tam ut *actus* à LL. Civil. *juberi*, id est etiam, *vetari*: quam ut *relinqui*, possit. Adeoq;, quæ res antea *meri arbitrii* fuit, LL. latis, evadit *debiti.* Priori significatu, huc tanquam non pertinente, relicto, posteriorem acceptamus. Hinc PUFEND. *Par quoq; erat*, inquit, *Principibus, quorum curis quies publica stat, isthanc sanè virilem recreationem concedere; præsertim cum venatio in regionibus celebribus, si promiscuè quibusvis sit indulta*, singulis *parum posset adferre compendii.* Et paulo post: *non ipsis res suas eripit, sed vetat duntaxat ab ipsis usurpari aliquem adquirendi modum, quem alias merum Jus Naturæ, citra constitutiones Civiles sic esset, indulgebat.* (b) Conf. OSIAND. (c) Varias autem rationes, cur hoc Privatis interdici possit, FACHINÆUS, (d) WESENBEC. (e) CARPZOW. (f) & STRYK. (g) prolixiori adferunt serie. Hoc saltem adversus eos, qui à parte stant adversa, notamus: quod

y) ad WESENBEC. *parat. de acq. rer. dom. n. VII.* z) *de J. B. & P. lib. 2. Cap. 2. §. 5.* a) *l. 3. ff. de acq. rer. dom. §. 12. Instit. eod. tit.* b) *De J. N. & G. lib. 4. Cap. 6. §. 6.* c) *Annot. ad* GROT. *lib. 2. Cap. 2. Thes. 5. p. m. 671.* d) *Controv. Jur. lib. 1. Cap. 1.* e) *Parat. ff. de acq. rer. dom. n. 7.* f) *Tract. Crim. p. 2. Quæst. 84. n. 11. & seqq.* g) *Volum. 2. disp. XII. Cap. III. n. 18. & seqq.*

quod aliud sit, *Suum seu Jus adquisitum alteri absq; Justa causa auferre*: aliud *Boni publici gratiâ, ne quid fiat, vetare.* Rectè ideo sese axioma Dd. arg. Jur. Rom. (h) habet: *Jus adquirendum facilius impeditur, quam Jus quæsitum tollitur.* BARBOSA. (i) Neq; enim, si ex rigore agerem, *auferri dici possit, quod nunquam adquisitum fuit neq; possessum.* (k) Conf. BRONCHORST. (l) Vult tamen PUFENDORF. (ll) *moderatè exercendas esse ejusmodi leges, nisi peculiaris furtivorum venatorum malitia asperitatem suadeat.*

§. V. Intricata satis ac nodosa jam pertractari meretur quæstio: *An fundum alienum ingrediens, domino invito ac prohibente, nihilominus feram ibi captam irrevocabiliter faciat suam?* Hanc controversiam ita distingvit GUDELINUS: non *Adquisitionem ferarum*, sed *usum venationis*, hodiernis moribus impediri. *Duo enim*, ait, *fuerunt Jure Gentium constituta, unum, ut omnibus hominibus venari liceret; alterum*, ut *Dominium ferarum occupatione acquireretur, priori derogatum esse, intelligendum est, posteriori nequaquam. Etenim si homo plebejus, seu quidpiam venari prohibitus, nihilominus venatus feram ceperit: fateor ab illo tolli posse, non quin ejus sit, sed velut ab indigno ac pœnæ causa; prorsus eadem ratione, qua laquei, jacula, cæteraq; venatoria instrumenta, quamvis ipsius sint, ei adimuntur.* (m) Eundem ferè in modum ZIEGLERUS: *Impediri lege potest, ne feræ, pisces, aves, capiantur; sed ut capiendo non adquirantur impedire nequit Lex Civilis; stare enim potest Jus prohibendi, cum Adquisitione ipsa, quatenus scilicet qui feram aut avem capit, suam eam facit Jure Gentium: diversæ enim sunt quæstiones, utrum aliquis adquirat capiendo? & utrum liceat hoc adquirendi modo uti? in prima quæstione nihil potest Majestas; quemadmodum enim facere nequit, ut alicujus sint, quæ nullius sunt, aut possideantur, quæ non possideantur*: (n) *Ita nec prohibere potest acquisitionem, & facere, ut quæ acquisita jam sunt, non sint acquisita*



b) *l. 12. C. de acq. poss. Conf. l. 45. §. 1. ff. de leg. 11. Et* GOTHOFRED. *ibid. lit. E.* i) *Axiom. lib. IX. Cap. CXXXI. axiom. XVII.* k) *l. 208. ff. de reg. jur.* l) *ad eand. l. cit. Item ad l. 83. ff. tit. cit.* ll) *De J. Nat. & Gent. lib. IV. Cap. VI. §. VII.* m) *lib. 2. Cap. 2. de Jur. noviss.* n) *l. 3. §. 14. ff. de acq. poss.*

*quisita.* (o) Quam opinionem communi calculo fovent: WESENBEC. (p) DONELLUS. (q) J. PACIUS, (r) HUNNIUS, (s) ANT. PEREZIUS, (t) VULTEJUS, (u) SCHOTANUS, (x) GIPHANIUS, (y) BORCHOLTEN, (z) VINNIUS, (a) CARPZOV. (b) STRAUCHIUS, (c) MATH. STEPHANI, (d) TIMÆ. FABER, (e) LUDWEL, (f) ECKOLT, (g) FRID. PRUCKMANNUS, (h) GEORG. MOHR, (i) SEBAST. MEDICES, (k) aliiq; plurimi. Quicquid sit: Nobis tamen partem tueri negativam, rationi ac æquitati multo proximius videtur. Sæpius enim supposuimus: nullum *Dominium* pro *legitimo* ac *justo* agnosci deberi, nisi *modis adquiratur genuinis* ac legibus non contrariantibus. Haud equidem diffitemur, *Dominium ferarum* in laxitate naturali vagantium, hactenus non propriè fundi Dominis tribui posse: quod nempè, *actu* adhuc *corporali* non fuerint adprehensæ, nec ad lubitum quovis momento eorum dispositioni sisti possunt; sed intuitu LL. Civil. *Jus* maximè eas occupando, suas præ aliis facere: nec tamen ratione istius *Juris* penitus à *bonis nostris* secludi, cum & *Jura, bona nostra augent*; conf. CUJAC. (l) & MYNSING. (m) Quia *Res* (n) sunt. Et sane, is injuriâ afficitur, absq; cujus consensu, alius fundum ipsius ingreditur, Jus illud præoccupando eidem soli competens;

o) *ad* GROT. *lib. 2. Cap. 2. §. 5.* p) *in parat. ff. de acq. rer. dom. n. 7. Item ad Instit. §. 12. tit. eod.* q) *Com. jur. Civil. lib. 4. Cap. 8.* r) *ad Instit. §. cit.* s) *Var. resol. Jur. Civil. lib. 2. Tract. 1. Quæst. 12.* t) *Instit. Imperial. lib. 2. Tit. 1.* u) *Jurisp. Rom. lib. 1. Cap. 70. n. 12.* x) *Exam. Jurid. in Tit. ff. de acq. rer. dom.* y) *ad l. 3. ff. tit. cit. n. 4. Item in Explanat. ad Instit. §. 12. tit. eod. cit. Ejusd. Disp. ad Instit. IX. n. 35.* z) *ad §. 12. Instit. tit. cit.* a) *ad §. 13. Instit. eod. tit.* b) *Jurisp. for. part. 2. Const. 53. definit. 9.* c) *ad Instit. Diss. 6. aphor. 18.* d) *In Instit. Imp. Cent. 2. Quæst. 12.* e) *Disp. anniversar. 12. Thes. 7. lit. B.* f) *ad Instit §. 12. tit. cit.* g) *ad Tit. ff. eund. §. 14.* h) *Tract. de Venatione, Cap. 6.* i) *Tract. de Jure venandi. part. 1. Cap. 3.* k) *de Venat. part. 1. Quæst. VI. §. XI.* l) *ad Instit. in prin. de rer. divis.* m) *Ad eund. loc. Instit. n. 4.* n) *l. 23. ff. de verb. sign.*

tens; quod Jus, *communem* cum *Dominio actu constituto* eatenus producit *Effectum*, ut extraneus, cui nullum est Jus quæsitum, feras attrectare non debet, & si actu attrectaverit, suas non faciat: aliud enim est *capere*, aliud *legitimè capere.* Neq; *nuda captura*, quæ solùm est *facti*, potis est parere *Dominium*, quod est *Juris.* Estq; *nuda* talis *Occupatio*, restrictâ jam libertate naturali, *modus saltem adprehendendi Rem*, non verò *adquirendi Dominium Rei. Quæ ergo contra LL. sunt, pro infectis habenda.* (o) Conf. BRUNNEM. (p) **Ty att alt lagbfångit är rättfångit / och alt olaga fångit är som ofångit.** (q) *Nulloq; justo Titulo præcedente, possidentes quærere Dominium, ratio Juris prohibet.* (r) Parùm eapropter prodest distinctio GUDELINI & ZIEGLERI inter *actum occupationis* & *ingressionis* facta; absq; omni dubio, qui *actum ingrediendi* vult interdictum, paritèr etiam vult *actum occupationis* prohibitum. SCHNEID. (s) Alias enim inutile valdè esset, tale Legibus velle præcaveri, undè nihil commodi in se redundaret. Negato itaq; *actu ingressionis*, tanquam causa sine qua non, & ad feras occupandas necessaria, negatus etiam maxime censetur effectus, nempè *Occupatio*: quia, nullus effectus existere possit absq; causa. (t) Cujus autem principium causaq; vitiosa est, ejusdem generis & actus subsequens æstimatur; (u) Cum effectus plerumq; arguat causam. (x) Nemo præterea ex suo delicto, eòq; facto cui Lex resistit lucrum sentire debet. (y) Hisce etiam adstipulatur CUJACIUS, licet brevis satis, inquiens: *Cum vero quis non permissu Domini in alieno quid horum ceperit, puto nihil sibi adquirere.* (z) A quo nec dissentit GOTHOFREDUS; *Venator ingressus fundum alienum, & inibi post prohibitionem Domini, animal aliquod capiens, captum animal suum non facit, ut aliquid prestet*



o) *l. 5. C. de leg. & Constit.* p) *ad eand. leg.* q) *Cap. 1. Jord B. §.* r) *l. 24. C. de rei vind.* s) *ad Instit. §. 12. de rer. divis. n. 9. ad fin.* t) *arg. l. 9. §. 2. ad fin. ff. ad L. Jul. de adult.* u) *l. 29. ff. de reg. Jur.* x) *Conf.* BARBOSA *axiom. lib. III. Cap. XII. axiom. VI.* y) *l. 12. §. 1. ff. de furt. l. 5. C. de leg.* z) *lib. 4. Obs. Cap. 2. in fin. Conf. l. 55. ff. de acq. rer. dom.*

*ſtet prohibitio.* (a) Videant itaq̃, qui à parte ſtant contraria, quo *Juſto titulo*, feram captam poſſideant, qui ſanè nullus eſt. Non equidem negamus, ſufficere *Occupationem* allegaſſe in *Modo Adquiſitionis Originariæ Naturali Jur. fundato*; confeſtim tamen limitando: *Ne ullius Jus obſtabit, quo minus exerceri poſſit.* Quod *Jus* Lex Civil. omnino tribuere queat, & naturalem rationem vi ſua antevertere.

§. VI. *Utrum verò feram hoc modo captam ab emptore b. f. Dominus fundi vindicare poſſit?* Si indolem Rei alienæ, furto ablatæ, ſequendum eſſet, adfirmativa utiq; nobis placeret: arg. LL. ubi dicitur, *Eum rem incivilem deſiderare, qui agnitas Res furtivas non prius reddat, quam pretium à Dominis fuerit ſolutum.* (b) Conf. BRUNNEM. (c) Item, **Hin tagi ſitt åter utan penningar ſom miſt haftwer.** (d) Et, **Löſe den ſitt åter ſom rätt kändt haftwer.** (e) Ratio hæc eſt: *ne quis rem ſuam abſq; facto ſuo amittat.* (f) *Nevè rem propriam pretio redimat,* (g) quam abſq; ſua culpa amiſit. Et, *mercator poſt hac cautius mercari diſcat.* (h) Ubi & hoc velut in tranſcurſu notabam: quod nempè, ꝛo **Löſe** rectè vix per *redimere* vertat LOCCENIUS: errore forſan ſeductus typographiæ, adeoq; ego, pro **Löſe** ſubſtituendum **Läſe**/ putarem, ſicq; ſenſus integer evadit. Hanc meam ſententiam valdè firmant verba, **taki hin ſitt åter ſom klandade/ utan löſn.** (i) **Läſe** ergo idem heic ſignificat ac **Taki**/ hoc eſt, *recipere.* Videatur etiam *Lexicon Juris* SVEO-GOTH. prænominati Authoris, in verbo **Löſe**/ ubi quà rem ipſam mecum facit. Addi præterea meretur Cap. XIII. **BygnB. LL.** ubi legitur **Ar oläſin**/ id eſt, *ſpicæ non collectæ*: unde per metaphoricam

a) *ad* SCHNEID. *in Inſtit.* §. 12. *n.* 7. *Tit. cit.* b) *l.* 2. *C. de furt.* *l.* 3. *l.* 23. *C. de rei vind.* c) *ad cit. l.* 2. *C. de furt. n.* 1. *& ſeqq.* d) **Tuf. B. LL.** *Cap.* 23. e) **KiöpM. B. LL.** *Cap.* 5. *ad fin.* f) *l.* 11. *ff. de reg. Jur.* g) *l.* 4. *ff. de pig. act.* h) *l.* 2. *C. de furt.* i) *Cap.* 4. **KiöpM. B. LL.**

cam quandam locutionem, **Läſe ſitt åter**/ quaſi *colligat ſuum* ſeu *recipiat.* Quæſtioni autem motæ obſtare videtur: quod in §. præſidenti conceſſum fuit, *Dominum fundi vix poſſe propriè dici Dominium feræ, in naturali laxitate vagantis, habere*: quia, *corporaliter adhuc non fuerat comprehenſa? neq; ideo, Occupantem auferre Rem alienam, dici poſſit, cum Dominus fundi ipſemet non cepit.* Sed & huic dubitandi rationi reponimus: Occupantem, Domino fundi ſpontaneam operam, præſtitiſſe, ſibi ergo ipſi imputet, quod cautius hac in re verſatus non ſit; Conf. PUFEND. (k) & STRYK. (l) *Quod enim ſciebat nullo modo ad ſe pertinere, id ſcire debuit, ad alterum pertinere.* (m) *Operam ergo ſuam donare cenſendus, quia fiebat nullo Jure cogente.* (n) Neq; ſimpliciter verum quod tradit GUDELINUS loc. cit. *Occupantem Rem alienam non auferre*: Quicquid enim quacunq; ratione id, quod noſtrum eſt, auget, id etiam, ut tale, Rebus noſtris adnumerari debet; Jus venandi in ſuo, excluſis aliis, id quod noſtrum eſt auget, quia, *Res* (o) eſt: hinc meritò Rebus noſtris adnumeratur: ſi *noſtrum* eſt, utiq; Occupans *Rem alienam* contrectat, quæ tamen *ſine noſtro facto ad alium transferri nequit.* (p) At inſtet quis? *Jura minus rectè auferri dici: quia, tangi & contrectari nequeunt?* (q) Non utiq; negamus, *furtum ſtrictè* dictum eſſe *Rerum corporalium.* (r) Interim & hoc regerimus; quamquam Lex Civilis, ad Dominium producendum, ratione *Rerum moventium*, quæ ipſo actu hominum poteſtati ac diſpoſitioni non ſunt ſubjectæ, vix ſufficit, ſed requiritur quoq; *actus* aliquis *corporalis*; Lex tamen efficere poſſit, ut *Jus* nobis ſit, non ſolum easdem præ aliis occupare, ſed etiam ut hoc *Jus*, *effectum* habeat *communem*, cum *Dominio actu conſtituto*, hactenus: ut quosvis poſſimus arcere, ne *Jus* illud *Rem occupando*, violent; & præterea, Rem ab alio captam vindicare. Sit hæc ratio Legis: licet Dominus



fundi

k) *De J. N. & G. lib.* 4. *Cap.* 6. §. 7. l) *Volum.* 2. *diſs. XII. Cap. III. n.* 32. m) *l. ult. C. unde vi.* n) *l.* 29. *ff. de donat. l.* 82. *ff. de reg. jur.* o) *l.* 5. *l.* 23. *ff. de verb. ſign.* p) *l.* 11. *ff. ac reg. jur.* q) *arg. Tit. Inſtit. de reb. corp. & incorp.* r) *arg. l.* 75. *ff. de furt.*

fundi dicere vix possit, ante latam Legem Civilem, se habere Jus feram occupatam ab alio, sibi vindicare, cum hæc *ratione naturali occupanti cederet.* (s) Nec tamen eo ipso, qui occupare in alieno velit, statim Jus obtrudere potest, ne Lex Civilis, hoc Jus, solum fundi Domino tribuat: quia, *major debet esse authoritas Legis quam hominis, homo enim Legi subest.* GAIL. (t) Adeoq; distingimus inter *ipsum Jus venandi*, & *Effectum hujus Juris*, nempe ferarum vindicationem: illud quidem nobis invitis, per occupationem, ab alio non-Domino, auferri nequit; hic verò auferretur, si occupans Rem occupatam irrevocabiliter faceret suam. Quod ipsum sufficit, ut aliquid de *nostro* decessisse dicatur. Unde inquit GRASWINKEL: *Jus aliquit faciendi verè in bonis nostris est, & qui hoc nobis eripit, nostra nos spoliat.* (u) Quin &, contradictionem involveret apertam: Domino fundi solum Jus venandi competit; & nihilominus, extraneus, cui nullum est Jus quæsitum feram occupatam faceret suam? nonnè hic modus illegitimè adquirendi, plus huic, quam Lex illi præstaret? absit omen! Et stabit conclusio: Siquidem capiens non efficitur Dominus Rei captæ, nec posse eum in alium hanc transferre: Ratio decidendi, quod *nemo plus juris in alterum transferre possit, quam ipse habet.* (x) Et, per consequens, à B. f. emptore etiam vindicari; quia, non debet huic plus b. f. quam illi rei veritas præstare. Quanquam moribus nostris aliter observari contendit LOCCENIUS. (y)

§. VII. Ex dictis fluit: tanto minus aliquem sibi Dominium ferarum, in aliena sylva circumsepta, aut piscium in alieno stagno, adquirere, si vel maximè Dominus hoc non præviderit, atq; ipso actu prohibuerit; quia, præsumitur hoc semper fieri Domino invito ac nolente. (z) Juxta quoq; in universum

s) *l. 1. ff. de acq. rer. dom.* t) *lib. 2. Obs. XIX. n. 5.* u) *ad Cens.* FELDEN. *in* GROT. *lib. 2. Cap. 2. §. 1.* x) *l. 46. ff. Item l. 160. l. 167. & 120. ff. de reg. jur. l. 20. ff. de acq. rer. dom.* y) *Diss. Jur. 5. Quæst. 3.* z) *Cap. 19. 20. & 25.* BYGNB. ꝛc. *Constit. dict. Reg. de Venat. & aucup. §. 10. & 11.*

niversum odservandum: communem istam omnium ferè Dd. Jur. Rom. sententiam, hisce præcipuè fundamentis, circa ferarum adquisitionem niti. I. *Quod nullius est Jure Nat. occupari posse.* (a) Quod nos tamdiu verum supponimus, *donec à Lege Civili non impediatur.* GROT. (b) & STRAUH. (c) II. *Dominium ferarum ab adprehensione demum corporali initium sumere.* (d) Nos verò superaddimus: quod *capere*, non statim sit *modus legitimus adquirendi*, sed requiritur præterea, *ut Jus nobis sit, in hoc vel illo loco capiendi*: III. *Quod Jure Nat. corporalis adprehensio necessaria.* (e) Hanc iterum Lege Civili supplemus, si non in totum, tamen hactenus, ut *Jus illud venandi pariat Communem Effectum, cum Dominio Pleno ac corporali adprehensione, quod à ferarum captura, quosvis arcere possimus, imò captas nobis vindicare.* In sylvis igitur feræ vagantes, eatenus saltem in laxitate naturali constituuntur; quatenus nondum ipso *actu corporali* fuêre adprehensæ: non tamen exindè quibusvis promiscua earum captura patet. *Nec enim quod quisq; potest, id & licet, nec si non obstatur, propterea permittitur.* BRISSON. (f) Aliud namq; est *Posse Juris*, aliud *Posse facti.* Nec existimandum quod aliquid possimus, nisi quod licitè possimus: quod verò illicitè saltem possumus, ea nos non posse, putandum.

§. VIII. Si autem quis, feram in suo fundo excitatam & in alienum excurentem, continuò insequatur, quoniam LL. impedimento non sunt, hoc utiq;, ex communi humanitatis officio est permittendum; *quod enim nulla lege est vetitum, quare pro re licita haberi nequit, nulla subest ratio.* (g) Limita tamen, *si absq; noxa atq; læsione fiat:* LOCCEN. (h) Ratio, *quod nulla est obligatio indulgendi alteri libertatem in meo, quatenus libertatis illius usurpatio, cum damno meo est conjuncta.* (i) Quod etiam de *Jure* obtinet

a) *l. 3. in prin. ff. de acq. rer. dom.* b) *De Jur. B. & P. lib. 2. Cap. 2. §. 5.* c) *ad Instit. diss. 6. aphor. 30.* d) *arg. l. 5. §. 3. ff. tit. cit.* e) *l. 1. §. 1. ff. de acq. poss.* f) *de Verb. sign. in Verbo* Licere. g) *l. 1. §. 1. ff. de test. l. 43. §. 1. ff. de procur.* h) *Synop. Jur. diss. 5. Quæst. 5.* i) *arg. l. 206. ff. de Reg. Jur.*

net *Saxonico*: Jaget ein Mann ein Wild ausserhalb dem Forst/und folgen ihm die Hunde in den Forst/er mag wol nachfolgen/ also/ das er nicht blase/ noch die Hunde nicht hetze und mißthut daran nicht/ ob er das Wild fehet/ seinen Hunden mag er wol wieder ruffen. (k) Vult tamen SCHNEIDEWIN. *In Loc debere attendi ad consvetudinem venatorum.* (l) Add. STRUV. (m) SCHULTZ, (n) & CASTEL. (o) Si verò non continuò insequatur, sed ab insequendo desistat, & ab alio postea capiatur, vindicari non possit: quia, *fera fugiens, in naturalem laxitatem redeundo, fit occupantis.* (p) Si hoc, multò magis ea, quæ non dum capta fuit, occupanti alteri cedit.

§. IX. Jam ulterius: *Anne scilicet, bestiâ vulneratâ, nostram statim feciſſe videamur?* Vel, *si alius intervenerit ipseq; eam occupat, ipsius fiat?* Ex sententia quondam TREBATII, *vulnerantis intelligitur.* (q) Ratio hæc, licet vulnerans non dum ceperit, tamen id effecit, ut facilè capi possit: quod verò in facili & propinquo est, pro perfecto haberi solet. GIPHAN. (r) Alii verò contra, non *vulnerantis* sed *capientis* eam fieri ajunt; quod GAJO placuit (s) & JUSTINIANO. (t) Rationem itidem addit GIPHANIUS: *quod horum animalium Dominium ex possessione est, quæ acquiritur occupatione, at aliud est capere, aliud vulnerare; nec obstat, quod vulnerans causam det occupationi faciliori; quia, multa, inquit JCtus, accidere possint, ut feram bestiam, licet vulneratam, tamen non capiat.* (u) GOTHOFREDUS ex RADEVICO (x) aliter distinguit: *si quis,* inquit, *cum canibus venatoriis, sive molossis, feram invenerit & persecutus fuerit, ut ei potius quam occupanti cedat; si lancea vel gladio vulneraverit aut occiderit, non dum ceperit, ut ejus sit, non occupantis; si cum*

k) Landr. *lib. 2. art. 61.* l) *ad Instit. §. 12. de acq. rer. dom. n. 5.* m) *Jurisp. Rom. lib. 2. Tit. 1. Thes. 23. in fin.* n) *ad Tit. cit. Instit. Lit. K.* o) *Specul. Jur. Cap. 25. n. 301.* p) *l. 3. §. 2. l. 55. ff. de acq. rer. dom. §. 12. Instit. Tit. eod.* q) *l. 5. §. 1. ff. Tit. cit.* r) *ad l. cit. n. 2.* s) *l. cit. ff.* t) *Instit. §. 13. Tit. eod.* u) *ad cand. l. cit. ff.* x) *lib. 1. Cap. 26. de Gest.* FRIDER.

*si cum canibus leporariis sive laconicis, ut occupanti cedat; si telo, ballista aut arcu occiderit, ut æq; ejus sit, non occupantis, eo usq; scilicet, donec eam persequatur.* (y) Ex LL. LONGOBARDORUM (z) refert PUFEND. *Qui feram ab altero vulneratam occidit, aut reperit, aufert animum cum septem costis: in reliqua, is qui vulneravit, jus habet, sed non nisi spatio XXIV. horarum.* (a) LL. Pat. hactenus usitatæ, an quid expressi hac in controversia determinarint, non equidem mihi constat. Antiquæ verò hunc saltem in modum: Nu ganga Män äpte Älghdiurum/ nu resa ther diuur ock fa fiät ock fara epte: Nu lata ther fiät löst/ nu ma engin a thera fiät ganga/ för än threa näter äru uti. Nu ganger man a fiät och fällir diur/ kuma ther till sum diur hawa rest/ tha aghu ther diur som restu: Nu hawa the släpt fiäti sum restu/ ock ganga ut trea näter/ kuma andra ock fälla diur/ tha aghu ther diur sum fällt hawa/ ock ther gangin fran sum egh wildu fiätz giäta. hoc est: *Si alcem investigantes, vestigiis deprehensis, excitent: paulo forsan vestigia remittant, nemini Jus erit eorum insistere vestigiis, antequam trinoctium sit præterlapsum, si tamen quis nihilominus vestigiis feræ inhærendo, eandem feriat, ipsiq; superveniant, qui feram excitarunt, horum propria erit. Si verò vestigia primi excitantes reliquerint, & trinoctium intervenerit, alii advenientes feram percutiant, horum erit; ipsi verò excidant jure suo, qui ulterius ejusdem vestigia observare noluerunt.* (b) LL. HELSINGICÆ sic habent: Löper Man sialfwer älgh i Skoghi sinum/ hindrar han mater eller mödho/ ock tränger han fran fara/ tha säti arf i fiät: är han fra um natt eller twa/ ock fälle män diur medhan/ tha hawi then Skotbogh medh huld ock har sum fäldi/ ock hin hawi diur sum löpti. id est: *Siquis in propria Sylva alcem excitet, & propter defatigatio-*

L

y) *ad l. 5. §. 1. ff. Tit. cit.* z) *lib. 1. Tit. 22. l. 4. & 6.* a) *De J. N. & G. lib. IV. Cap. VI. §. 10.* b) Bygdb. öfst. *Cap. 36. §. 4.*

*gationem corporis, aut cibi defectum, indè abire cogitur, sagittam in vestigio ponat; si per noctem aut duas absit, & alius interea feram cædat, hic armum feræ cum carne & pilis habebit, primus vero excitans, feram sibi adpropriet.* (c) Addi quoq; possunt, LL. SUDERMAN. (d) Aliam etiam Legem observavit Nob. STIERNHÖÖK, licet non allegavit, deprehenditur tamen in LL. WEST-GOTH. (e) nempè, **Then a hara ár händier/then a ráff ár reser/then a warg ár winder/then a Biörn ár batir/then a Älgh ár fäller/then a Otter ár or a takir.** Ita vertit: *Leporem habeat qui prehendit: Vulpem, qui elicuit: Lupum, qui suspendit: Ursum, qui confodit: Alcem, qui prostravit: Lutram, qui flumine extraxit.* (f) Quæ verba priora: **Then a hara ár händier/then a ráff ár reser/** etiam in LL. cit. OL. §. 5. extare dicit LOCCENIUS, (g) mihi verò talia invenire licuit, **Nu a then räf som resir/ock hara then handum far:** Sensus forsan idem. Cum verò ad locorum *Consvetudinem*, hoc in negotio spectandum putat MYNSINGER. (h) Idcirco *Naturalem æquitatem* intuentes, (suppositio, utrìq; in solo isto occupandi Jus esse,) sic in universum distingvendum existimamus: aut fera lethaliter est vulnerata, aut non; priori casu cedit vulneranti: posteriori autem occupanti. Limita tamen, cum percussio prioris, causa erat ut facilius caperetur a posteriori, Jus etiam est percutienti, ut pro qualitate causæ, ipse quid in capta habeat emolumenti ac Juris: quia, *nemo cum alterius damno est locupletandus*; (i) quod videretur, si iste huic gratis laboraret. Plura, de materia hac *Venationis, Aucupii & Piscationis*, cupienti, *Corpus Juris Venatorio-Forestale* AHASVERI FRITTSCHI præbere, profiteor.

§. X. Altera *Occupationis* species est *Inventio, quâ occupantur Res, quæ vel nunquam alicujus fuêre*; (k) vel *alicujus esse desierunt.*

*c)* WiderB. *Cap. 8.* *d)* BygdB. *Cap. 19.* *e)* BygdB. *Cap. 13.* *f) lib. 2. Cap. 8. de Jur.* SVEO-GOTH. *vetust. Quæst. 1.* *h) ad Instit. §. 13. n. 1. de rer. divis.* *i) l. 206. ff. de Reg. Jur.* *k) Instit. §. 18. de rer. divis.*

*runt.* (l) Conf. VULTEI. (m) Huc autem propriè non spectant 1. *Res casu deperditæ & amissæ.* VINNI. (n) Cum Domini adhuc maneant, & inventæ Inventoris non fiunt, sed Domino restituendæ; tam Jure Divino, (o) Naturali, (p) quam Civili. (q) Si videlicet sciatur quis sit. Quia, *nuda alterius amissio, Jus adquirendi mihi non dat:* cum Dominium sine voluntate non amittatur. (r) Ut vero Dominus sciri possit Inventor libello proponat, vel proclamari curet, se Rem invenisse, eiq; cui deperdita redditurum velle. (s) Add. SCHNEID. (t) Si autem postea nemo reperiatur, qui Rem suam aliquo modo probare potest, *Res inventa Inventoris Naturaliter manet.* GROT. (u) Heic tamen distingvit WESENBEC. *Si inventor pauper sit, retinere possit, si dives, pauperibus aliisq; piis usibus Res erogandas.* (x) Consentiunt HAHNIUS, (y) CARPZOV. (a) BRUNNEM. (b) PECKIUS, (c) VINN. (d) STRYK, (e) aliiq; hoc tamen de *honestate* non *necessitate* esse dicunt: quod ut Consilium Theologicum BACHOVIUM ridere ait TABOR. (f) Rationem assertionis nostræ addit GROTIUS, *quod ex Dominio nemo Jus habet præter Dominum: qui quamdiu non adparet, tantundem est apud eum cui non adparet, ac si non esset.* (g) Si enim probabiliter constet Rem pro derelicta haberi, nemini aliquid aufertur: non priori Domino, quia sponte se abdicavit Jure suo; non tertio; qui nullum nec dum Jus habuerit. Absq; ulla ergo necessitate erogandi, recte ab inventore indi-

 stinctè

*l) §. 47. eod. Tit.* *m) Jurisp. Rom. lib. 1. Cap. 7. n. 15.* *n) ad §. 18. Instit. Tit. cit.* *o)* GENES. *Cap. 43. v. 12.* DEUT. *Cap. 22. v. 3.* *p) l. 206. ff. de Reg. Jur.* *q) l. 11. ff. eod. Tit.* *r) arg. l. 25. §. 1. ff. Solut. matr. quemadm. dos petat. l. 9. §. 1. ff. de jur. dot. l. 9. ff. de impens.* *s) l. 43. §. 8. ff. de furt.* *t) ad Instit. §. fin. de rer. divis.* *u) de J. B. & P. lib. 2. Cap. X. n. IX.* GRASWINCK. *ad eund. loc.* *x) Parat. ff. de furt. n. 10.* *y) Observ. ad eund. loc cit.* *a) Jurisp. forens. part. 3. Const. 31. definit. 18. n. 7.* *b) ad Auth. Omnes peregrini. C. Com. de succes.* *c) in Comment. ad l. 8. ff. ad l. Rhod. de jactu n. 3.* *d) Observ. ad loc. cit. lit. C.* *e) Volum. 2. Disp. XII. C. III. n. 45.* *f) Racem. II. §. XXXVI.* *g) De J. B. & P. lib. 2. Cap. X. §. XI.*

ſtinctè retinetur. Paulò aliter res ſeſe de Jure Saxon. habet; quod tripliciter à Jure Communi differt. I. Statuit Inventori certum terminum, proponendorum edictorum, Sex ſcilicet ſeptimanas. II. Adveniente licet domino Rei inventæ, eamq́ ſuam eſſe probante, Inventori tamen tertiam partem tribuit, ſive Dominus extraneus, ſivè forenſis fuerit. III. Si Dominus non advenerit repetitum Rem, eandem Magiſtratui deferre jubetur; ita tamen, ut partem tertiam reſtituat inventori. (h) Conf. CARPZOV. (i) Quæ tamen diſpoſitio vix hodie obſervari teſtatur SCHULTZ, ſed potius Res inventa, ſecundum Jus Commune, Domino indiſtinctè, nullaq́ retenta tertiâ, accepto præmio inventionis, reſtituenda venit. (k) LL. Pat. conſonum eſt; ut Res inventa in proximo pago territorii deponatur & enunciatur. (l) **Före thy at ingen fynd må af Härade föras/ thy ſom hon war funnen uti/ för än uthe är natt och Åhr/ eller rätter ägande effterkommer.** (m) Ratio iſthæc LOCCENIO videtur: *Ne longius delata, forſan alienetur, & Domino Rei amiſſæ, nimis moleſtum ſit, longo itinere repetere.* (n) Si verò Res inventa furandi animo tenetur, furtum commititur. (o) Sivè ſcit cujus ſit, ſivè ignoravit; nihil enim ad furtum imminuendum hoc facit. (p) Omnes enim ſcire debent, quod ſuum non eſt, hoc ad alium modis omnibus pertinere. (q) Unde Noſtris dicitur: **Fyndir aghu näſt tiufnadi ſtanda / thy at tiufwer hitta gierna ſwa/ ſum kluckarin hitta kalkin.** (r) Jur. Canon. ita obtinet: *Si quid inveniſti & non reddidiſti, rapuiſti; quantum potuiſti, feciſti. Quia, plus non inveniſti, ideo non plus rapuiſti. Qui alienum negat, ſi poſſet & tolleret. Deus cor interrogat & non*

*h) Landr. Art. 37. lib. 2. i) loc. cit. n. 8. 9. 10. & 11. k) ad Inſtit. §. fin. de rer. diviſ. l) Tiuf B. LL. Cap. 32. & Cap. 11. Stä. eod. tit. m) Cap. 34. LL. Tit. cit. n) Diſſ. Jur. Privat. 5. Theſ. 29. o) l. 43. §. 11. ff. de furt. p) arg. l. cit. §. 4. q) l. ult. C. unde vi. r) Vpl. Man Hälg B. Cap. 52. Item HL. eod. Tit. Cap. 35.*

*& non manum.* (s) Item, *Multi ſine peccato putant eſſe, ſi alienum, quod invenerint, teneant: & dicunt, Deus mihi dedit cui habeo reddere? diſcant ergo peccatum hoc eſſe ſimile rapinæ, ſi quis inventa non reddat.* (t) Neq́ II. huc pertinent, *Res neceſſitate urgente projectæ:* veluti *orto incendio.* (u) Item, *in tempeſtate navis levandæ cauſa.* (w) Quia, *regulariter* (x) eo animo non ejiciuntur, ut eas quis amplius habere nolit, ſed magis ut cum ipſa nave, periculum maris effugiat. (y) Cum nemo in neceſſitate liberalitatem facile exercere præſumitur. (z) Nec ſuum quis jactare videtur. (a) Neq́ poſſit videri pro derelicto habitum, quod ſalutis cauſa interim dimiſſum eſt. (b) Add. CARPZOV. (c) MÆSTERT. (d) BARBOSA. (e) PECKIUS. (f) & VINNI. (g) Neq́ ſupradictis obſtat reſponſum ULPIANI, (h) circa quod valdè laborant Juris Interpretes, ut cum allegatis heic reliquis JCtorum reſponſis concilient; quorum varias interpretationes recenſet NICOL. de PASSERIBUS, (i) quibus ſingulis rejectis, cogitandum, pro more ſuo, dum nihil habeat, quod proferat, relinquit. Mihi maximè interpretatio D. ARETINI, quem ſecutus eſt MENOCHIUS (k) & FARINACIUS, (l) placet; textumq́ cum CONNANO (m) emendandum puto; quod quoq́ PECKIO (n) adridere video.



*s) Cauſ. XIV. Quæſt. V. Cap. VI. t) Ibid. Cap. VIII. u) l. 18. C. de furt. w) Inſtit. §. fin. de rer. diviſ. l. 9. §. 8. l. 44. l. 58. ff. de acq. rer. dom. l. 7. ff. pro derelict. l. 43. §. 11. ff. de furt. l. 8. l. 2. §. 8. in fin. ff. ad l. Rhod. de jact. l. ult. ff. de incend. x) STRAUCH. ad Inſtit. Diſſ. 6. aphor. 40. y) l. 9. §. 8. ff. de acq. rer. dom. z) l. 29. ff. de donat. l. 18. ff. de adim. vel transf. legat. a) l. 25. in prin. ff. de probat. b) l. 21. §. 2. ff. de acq. poſſ. l. 15. §. 35. ff. de damn. infect. c) Juriſp. forenſ. part. 3. conſtit. 31. definit. 18. n. 3. d) Tract. illuſt. Jur. mat. ad l. Rhod. Quæſt. 6. e) Axiom. lib. IV. Cap. XIX. axiom. 1. f) Comment. ad l. 8. ff. ad l. Rhod. de jactu. n. 1. g) ad eund. loc. cit. lit. B. h) l. 43. §. 11. ff. de furt. i) Concil. LL. part. I. Cap. V. Quæſt. III. k) Lib. V. Præſumpt. 30. n. 16. l) Tract. de furt. Quæſt. 168. part. 1. n. 85. m) Com. Jur. Civil. lib. 3. Cap. 3. n. 5. n) ad l. 8. ff. ad leg. Rhod. de jactu. n. 3.*

§. XI. *Quid ergo judicandum de æquitate LL. quarundam Civilium bona naufragorum Fiſco adjudicantium?* Imo, *planè Injuſtas* dicit GROTIUS; *nulla enim cauſa præcedente probabili, Dominium alicui ſuum auferre, mera injuria eſt.* (o) *Quod namq; Jus habet Fiſcus,* ut loquitur CONSTANTINUS, *in aliena calamitate, ut in re tam luctuoſa, compendium ſectetur?* (p) *Non enim debet afflicto addi afflictio.* (q) Add. BARBOSA. (r) *Nihilq; rationi magis contrarium,* inquit GAIL, *quam calamitati addere calamitatem.* (s) Conf. SCHULTZ. (t) Juxta proverbium: **Man böör intet läggia ſteen på bördan.** (u) Quamvis verò *conſvetudo improba,* verba ſunt BRUNNEMANNI, (x) poſtea invaluerit, ut Res naufragæ ad litus delatæ, Domino territorii addicerentur: eam tamen Imperat. FRIDERICUS II. in totum ſuſtulit; &, ſi navigia quocunq; locorum pervenerint, & caſu cogente rupta, tam ipſa navigia, quam naufragorum bona, ipſis integra reſervarentur, ſub pæna publicationis bonorum & ſupplicii. (y) Qui tamen, non tam novum quid conſtituiſſe mihi videtur, quam quod antea ab Imperat. ANTONINO conſtitum confirmaſſe. Ut ex alio loco (z) Jur. Rom. obſervari liceat. Propterea etiam eadem conſvetudo à CAROLO V. in Ordinatione Criminali (a) rejecta itidem deprehenditur. Communis namq; ac recepta eſt concluſio: *Quod, quando Jus Civile aliquid prohibet, quia illicitum eſt, tunc contra talem prohibitionem non poſſe fieri ſtatuta, directo Legi contraria.* BART. & Dd. (b) Conf. GAIL. (c) Aliter verò ſentiendum, ſi *pro derelictis* habeantur: quidq; Juris eo in caſu ſit, mox ſuo adpareat loco.

§. XII. Hic quoq; ſubjicere ſolent Dd. *Anne Dominus tenetur dare inventori præmium inventionis?* De Jur. Nat. Resp. Inventientibus tantum deberi, quanti eſt opera in Rebus colligendis & aſſervandis. Rom. autem ita adcuratè procedendum puto: quod aliud ſit *petere*, aliud *accipere* inventionis præmium. Hoc ſuppoſito: aut *Res jam inventa eſt*; aut *non dum inventa*: priori caſu præmium *peti probè* nequit, (d) *accipi* tamen poteſt, (e) quia, ob *cauſam improbam* non fit. (f) Poſteriori verò, Rei inquirendæ cauſâ, & *peti* & *accipi* honeſtè poteſt; ſi dolo non inductus ſit Dominus ad promittendum. (g) LL. Noſtræ deſcrimen inter *Res inventas, ante* proclamationis actum & *poſt* eundem faciunt; iſto caſu gratis ſunt reſtituendæ, **Taghi ſitt åter utan Löſn.** (h) Hoc verò, inventori tertia pars cedit **Then ägher tridiung af fynd ſom hitte.** (i) Equi tamen & tauri uſus modicus, in recognitionem moleſtiarum ac cuſtodiæ, usq; dum Dominus ſuum repetat, eſt permiſſus; non tamen antequam legitimè ſint proclamata, alias pæna eſt trium marcarum. (k)

§. XIII. Jam aditus, ea, quæ propriè ſub titulo *Inventionis* ſpectanda veniunt, pandere, patet. Et quidem I. *Res, quæ nunquam alicujus fuêre:* ut ſunt, Gemmæ, Uniones, Succina & ſimilia, quæ in litore maris inveniuntur, & Jur. Nat. inventoris ſtatim fiunt. (l) Ut vero *Inventione* Dominus quis efficiatur, non ſufficit *ſolus Rei conſpectus*, ſed requiritur quoq; *corporalis adprehenſio*, ut antea dictum. Conf. SCHNEIDEWIN. & MYNSING. (m) Niſi quis cuſtodem Rei inventæ adpoſuerit; (n) & ſic nihil intereſt, utrum per ſe ipſum, an per alium

o) *De J. B. & P. lib. 2. Cap. VII. n. 1.* p) *l. 1. C. de naufr.* q) *l. 28. C. de Epiſc. aud.* r) *Axiom. lib. I. Cap. XLVI. axiom. II.* s) *lib. 1. Obſ. 18. n. 4. & 5.* t) *ad Inſtit. §. fin. de rer. diviſ.* u) CHRIST. Grubb *in Penu Proverb.* x) *ad l. 1. C. de Naufr. n. 3.* y) *Auth. 11. C. de furt.* z) *l. 12. in prin. ff. de incend. ruin. & naufr.*

a) *Art. 218.* b) *ad l. 9. ff. de juſt. & jur.* c) *lib. 1. Obſ. 18. n. 2. lib. 2. Obſ. 18. n. 7. & 8.*

d) *l. 43. §. 9. ff. de furt.* e) *arg. l. 4. §. 4. ff. de condict. ob turp. cauſ.* f) *l. 15. ff. de præſcript. verb.* g) *arg. l. cit. ff. de præſcript. verb. Conf.* GOTHOF. *ibid. lit. F.* h) Iuſt. B. LL. *Cap. 32. & 35. Cap. 11. & 13. eod. tit.* Stk. i) *Cap. 33. tit. cit.* LL. *Cap. 12.* Stk. k) *Cap. 35.* LL. *& 13.* Stk. l) *3. ff. de acq. rer. dom. §. 8. Inſtit. eod. tit. l. 1. §. 1. l. 3. §. 1. ff. de acq. poſſ.* m) *ad §. Inſtit. cit. n. 3.* n) *l. 51. ff. de acq. poſſ.*

alium adprehenderit. Vid. GIPHAN. (o) Quod enim Inventor nomine proprio alias adprehenderet, hoc alter non nomine suo, sed Inventoris præstat: &, quod per alium quis facit, id ipsum per se fecisse putatur. (p) Hic autem *adquirendi modus* hodiè vix obtinet; cum Summi Imperantes Naturalem hanc rationem antevertendo, Jus illud ex plenitudine potestatis, ad augendum Fiscum, sibi solis plerumq; adscripserint; propterea etiam ubiq; ferè locorum maritimorum, constituti sunt præfecti litorum, riparumq;, qui Res hasce inventas, ad fiscum deferre sunt adstricti. Add. HEIG. (q) SCHULTZ, (r) STRUV. (s) & GRYPHIAND. (t) Atq; hinc Occupantium nec fieri patet, si clam ista occupentur. Nam à furti crimine immunis dicendus vix est, qui contra prohibitionem non sua adpetit, &, Sua facere clanculum non veretur. Conf. STRYK. (u) Succedunt II. *Res, quæ alicujus esse desierunt.* Quarum aliæ sunt *Vacantes*, aliæ *Derelictæ;* de hisce in §. XVI. inf. Istæ autem sunt, quæ *Ipso Jure sine ulla hominis voluntate, Dominum vel Possessorem habere desierunt.* Dicitur *Ipso Jure:* aliud enim est *Jure* fieri, aliud *Ipso Jure fieri*; illud *facto* opponitur: (x) hoc vel *factum hominis*, Judicis vel partis prorsus excludit. (y) Quarum Rerum exempla, in Jur. Rom. (z) passim. Ex LL. quoq; patriis unicum adducere placet: **Nu döör den Man som ey hafwer Arfwa inrijkes / komber rätter Arfwa innan nätt och jamblånga / med breswõ och fullom skiåhlom / at han är hans rätter Arfwa / thå taghe han Arf hans / komber han ey / thå taghi Konunger Godz hans / hwad det är jord eller löösöra / thet han ey laghlika gifwit hafwer / dett kallas**

o) *ad eand. leg. cit.* p) *Instit. §. 42. de rer. divis.* q) *ad dict. §. Instit. n. 5. 13. 33. & seqq.* r) *ad §. 18. eod. tit. l. R.* s) *Syntag. Jur. Feud. Cap. 6. aphor. 7. & 22. Item Jurisp. Rom. Germ. lib. 2. Tit. 1. §. 30.* t) *Tract. de Insulis, Cap. 31.* u) *Volum. 2. disp. XII. Cap. III. n. 36.* x) *arg. l. 27. C. de inoff. test.* y) *arg. l. 5. C. de Pact.* z) *vid. l. 37. §. 1. ff. de usucap.*

**las Dana-arff.** (a) Neq; hæc *Bona vacantia*, moribus hodiernis, singulis adquiruntur; sed Fisco sunt deferenda, tam Jur. Rom. (b) quam Patrio. (c) *Nec iniquum*, ait ZIEGLER. *dum tamen per proclamata, primum vocati fuerint, si qui defuncti hæreditatem sibi deberi putent.* (d) Jure autem Saxonico, plenum Jus Fisci, Judici, qui merum imperium seu Jurisdictionem supremam, **die Ober- und Halßgerichte** / non solam hæreditariam seu bassam Jurisdictionem, **die Erb- und Niedergerichte** / habet, competit. Testantibus CARPZOV. (e) & MÆVIO. (f)

§. XIV. Ex præsumptione Juris huc etiam referri solet *Thesaurus*, qui est *vetus pecuniæ depositio, cujus memoria non extat*; (g) *ejusq; Dominus ignoratur.* (h) Qui tanquam *Res vacans*, ex *lapsu temporis*, Nullius censetur. Unde si quis *metus* aut *custodiæ causa* pecuniam aut alia mobilia absconderit, propriè Thesaurus non est, nec inventori adquiritur, sed manet deponentis. (i) Ideoq; si probabiliter de Domino constet, ipsi ejusq; hæredi sunt restituenda. CARPZOV. (k) & STRUVIO (l) ita sentientibus. Egregium quoddam exemplum adfert JASON, (m) de Mercatore quodam Genuensi, ex Hispania, absoluto itinere, redeunte; qui secum eximiam quandam ceræ molem detulerat, in qua una ceræ pila, quacunq; demum de causa, quatuor millia ducatorum ab ipso recondita fuêre; quo mortuo, bona ipsius Jure hæreditario ad filium devolvuntur, inq; eis pila ista cerea, aurũ continens, simul defertur. Filius autem ignorans aurum reconditum, eandem alii cuidam mercatori etiam vendidit;

M

qui

a) Erfd. B. &. *Cap. 23. Tit. eod.* Stl. *Cap. 18.* b) *arg. tot. Tit. C. de bon. vacant. l. 96. §. 1. ff. de leg. & fideicom. 1.* c) Kong B. &. *Cap. 2. Item cit. Cap.* Erfd. B. &. & Stl. d) *ad* GROT. *lib. 2. Cap. 3. §. 19. in fin.* e) *Jurisp. forens. part. 2. const. 14. def. 61. n. 1. 3. & 4.* f) *ad Jus* LUBECEN. *part. 2. Tit. 2. art. 14. n. 58. & seqq.* g) *l. 31. §. 1. ff. de acq. rer. dom.* h) *l. unic. C. de Thesaur.* i) *l. cit. ff. l. 44. ff. de acq. poss. l. 67. ff. de re judic.* k) *Jurisp. for. part. 2. Const. 53. defin. 7.* l) *Jurisp. lib. 2. Tit. 1. §. 56.* m) *ad l. 3. ff. de acq. poss.*

qui postea per spatium trium annorum tenuit & ultra, tandemq; aromatario cuidam contractu venditionis detulit; qui, cerâ statim resolutâ, aurum invenit. Oritur jam quæstio: Quisnam Dominus erit? Intentio Mercatoris, â filio ementis esse potest: Titulo oneroso adquisivi, adeoq; per triennium possedi ac Usucepi! Depulsio Aromatarii; quoniam ignorasti pecuniam esse in cera, neq; eam amovisti, propterea nec poteris dici possedisse; Ratio, ad possessionem requiritur animus ac scientia; (n) qui autem nescit & ignorat, non possidet, id est, non potest incipere possidere; dicente GOTHOFREDO, (o) qui verò non possidet nec usucapit. (p) Anne ergo fiat Aromatarii? quod negandum: quia, possidet m.f. sciens pecuniam esse alienam, adeoq; nec usucapere potest. (q) Conclusio: restituenda est filio Mercatoris, tanquã legitimo adquirenti ex oblatione hæreditatis, qui animus transferendi Dominium pecuniæ, quam in cera esse ignorabat, non habuit. Ratio decidendi ex Lege ubi dicitur: *Pecuniam inventam in Re empta, non in modum Thesauri, sed per errorem ab eo, ad quem pertinebat, non ablatam, nequaquam pertinere ad emptorem, sed ad Dominum pecuniæ.* (r) Casum ferè similem adfert CARPZOV. in pago quodam, Lipsiam propè sito, contigisse: ubi hæredes Rembleriani ædes maternas, ab hostibus Cæsarianis maxima ex parte combustas, cuidam vendiderant: in quibus reædificandis operarii ab emptore conducti summam pecuniæ ad centum thaleros & supra, sub terra fodiendo invenerant; de qua multum controvertebatur, cuinam cederet? demumq; decisum, ut venditori maneret; quoniam pro thesauro propriè dicto, certas ab circumstantias, declarari non potuit: militante pro venditore hac præcipua præsumptione; quod mater defuncta, à multis pro fæmina locuplete habita, & tamen post mortem, nec quicquam pecuniæ in hæreditate repertum

*n) l. 3. §. 3. ff. eod. tit.* *o) ad leg. cit.* *p) l. 25. ff. de usucap.* *q) l. 3. §. 3. ff. de acq. rer. dom.* Jord. B. ll. *Cap. 12. & 30.* Stl. *Cap. 7. eod. tit.* *r) l. 67. ff. de rei vind.* *l. 11. ff. de reg. Jur.*

pertum fuit; undè præsumi poterat, quod aut metus, aut custodiæ causa, eandem sub terra reconderat. (s) Add. BARBOSA. (t)

§. XV. *Anne verò Thesaurus indistinctè Inventoris fiat?* controverti solet. Cum GROTIO generaliter adfirmante, *Thesaurum naturaliter fieri inventoris, id est, ejus qui loco moverit & adprehenderit:* (u) utut dissentientem habemus ZIEGLERUM (w) aliosvè, sentimus. Neq; isthoc injuriâ; supponimus enim, Dominum fundi, eundem carius ea propter sibi non acquisivisse. Cui & isthæc ex PUFEND. addi merentur: *cujus Dominus ignoratur, quamdiu ignoratur, moraliter censetur ac si Dominum non haberet, essetq; nullius, adeoq; primo occupanti cedit.* (x) Ex Jur. Rom. commodè respondendum putamus, si distinctio, ab ipso loco inventionis, sit petenda. Aut I. in *proprio fundo* contigerit, ubi id certum est, eundem inventoris fieri. (y) Si vel inveniatur casu fortuito, vel datâ operâ. JUL. PAC. (z) Modo abq; arte magica, & incantationibus, fiat: alias totus adjudicatur FISCO. (a) Add. BRUNNEM. (b) Et inventor, tanquam maleficus capite plectitur. (c) Ampliatur dicta conclusio à Dd. sivè Dominus habeat *Dominium directum*, sive *Utile*, ut Vasallus & Emphyteuta; ita quidem, ut hi nihil teneantur restituere *Domino directo.* Vid SCHNEIDEV. (d) OLDENDORP. (e) CARPZOV. (f) & BRUNN. (g) Quia ad Emphyteutam & Vasallum incommoda particularia fundi spectant; (h) æquitas itaq; svadet, eum sequi commoda, quem incommoda seqvuntur. (i) Undè



*s) Jurisp. for. part. 2. Const. 53. defin. 10.* *t) Axiom. lib. IX. Cap. CX. axiom. VI.* *u) de J. B. & P. lib. 2. Cap. 8. §. 7.* *w) ad cit. loc.* GROT. *x) de I. N. & G. lib. IV. Cap. VI. §. 13.* *y) l. 31. ff. de acq. rer. dom. §. Instit. 39. eod. tit.* *z) ad eund. §. Instit.* *a) l. unic. C. de Thes.* *b) ad eand. leg.* *c) l. 1. C. de malef. & mathe.* *d) ad Instit. §. cit. n. 6.* *e) Act. forens. class. 3. de acq. rer. dom. n. 13.* *f) Jurisp. for. part. 2. Constit. 53. defin. 6. n. 7.* *g) ad cit. leg. Unic. C. de Thes. n. 7. Item ad Instit. §. cit.* *h) l. 1. in fin. C. de jur. emph. Instit. §. 3. de locat.* *i) l. 10. ff. de reg. jur.*

dè THRYPHONIUS, *fortunæ donum*, adpellat. (k) More tamen magis Christiano, *Dei beneficium*, dicit Imper. LEO. (l) Aut II. In *loco alieno* sed *privato* invenitur, & hoc vel *datâ operâ*, vel *fortuitò*: casu posteriori, dimidia pars cedit inventori, & altera Domino restituenda; priori verò, totum lucratur Dominus. (m) Rationem addit Imper. loc. cit. *Ut unusquisq; suis fruatur, & non inhiet alienis.* Et *natura*, inquit MYNSING. *non patitur, ut aliquid concupiscas ex alieno, præmeditato consilio.* (n) Idem quoq; dicendum de *Usufructuario*, cum non sit fructus fundi, neq; *Naturalis* neq; *Civilis*. (o) Conf. STRAUCH. (p) BRUNN. & CARPZOV. (q) Nec non *Creditore*, qui in re hypothecaria Thesaurum invenit; quod enim hic non jure creditoris, sed inventoris nomine habet; (r) ita illi non jure Usufructuario, sed inventionis, cedit. Vel III. In *loco publico fiscali*, vel *civitatis*: si itidem fiat casu fortuito, dividitur inter inventorem, fiscum & civitatem, (s) sin minus, idem juris, ac in reliquis. Si deniq; IV. in *loco religioso* aut *sacro* inveniatur, casu fortuito, totus cedit inventori. (t) Hodiè tamen inter inventorem & Ecclesiam ut dividatur, existimat SCHNEID. (u) Nonnulli verò moribus hodiernis, Thesaurum indifferenter, quibusvis in locis, ad Fiscum pertinere contendunt. Vid. GROT. (x) LOCCEN. (y) & CLAUD. **Kloot.** (z) verum, cum res judicatæ hoc in negotio variant, testante CHRISTIN. (a) & GEORG. THOLOS. (b) ideo in dubio Jus commune sequendum cum CARPZOV. (c) vult STRUV. (d) Quid verò super hac re haberi possit ex Jur. Pat. noviss. docet

*k) l. 63. §. 1. ff. de acq. rer. dom. l) l. unic. C. de Thes. m) l. cit. C. Et §. cit. Instit. n) ad Instit. ibid. n. 3. o) l. 7. §. 12. ff. solut. matrim. p) ad Jus Justin. diss. 6. aphor. 33. q) loc. cit. r) l. 63. §. 4. ff. de acq. rer. dom. s) l. 3. §. 10. ff. de jur. fisc. Instit. §. 39. de rer. divis. t) §. eod. Instit. u) ad Cit. §. Instit. n. 9. x) de I. B. & P. lib. 2. Cap. 8. §. 7. y) Synop. jur. diss. 5. Thes. 29. z) Laghfarenheetz Spegel lib. 2. Cap. 4. ad fin. a) Vol. 5. decis. 16. & 17. b) Synt. lib. 3. Cap. 11. n. 6. c) Jurisp. for. part. 2. Const. 53. definit. 4. d) Jurisp. Rom. lib. 2. Tit. 1. §. 57. in fin.*

docet Const. Reg. **Om gammalt Hittemynt och Fynd/** de die V. Julii, A. 1684. Jur. Saxon. ita constitutum: **Alle Schätze unter der Erden begraben/ tieffer denn ein Pflug gehet/ die gehören zu der Königlichen gewalt.** (e)

§. XVI. *Res derelictæ* sunt, *quas Dominus vel hac mente abjecit, ut eas in Rerum suarum numero amplius esse nolit;* (f) vel *quarum possessionem inprimis quidem invitus amisit, postea tamen, cum aut de earum recuperatione desperat, aut easdem tanti non facit, ut negotii quid, illarum recuperationi impendere velit, pro derelictis habet.* Conf. PUFEND. (g) *Statim* ideo ipsius esse desinant, (h) etiam antequam ab alio occupantur; (i) ut benè JULIANUS adversus PROCULUM respondit. Quia, Dominium non possit nobis invitis auferri; (k) ideo, vi contrariorum, nec nobis invitis retineri. (l) Cui sententiæ adstipulatur GOTHOFRED. *Res pro derelicto habita à vero Domino, statim desinit esse ipsius, etiam antequam per alium occupatur, & efficitur occupantis, si scivit eam pro derelicto habitam; si autem ejus non erat, sed aliena, tum qui occupat, non adquirit statim ipsius Rei Dominium, sed usucapiendi conditionem.* (m) An verò hic animus derelinquendi, Domino adfuerit, ex circumstantiis sufficientibus colligendum. Hinc I. notandum: quod Dominus non ea mente Rem abjiciat, ut fiat alterius cujusdam intuitu, in quem Dominium transferri velit, quia tum prius Dominium non extinguitur, sed continuatur, & in accipientem transfertur. Exempli loco sint *Missilia*, quæ in publicis



*e) Landrecht lib. 1. Tit. 35. f) l. 1. & 2. ff. pro derelict. l. 36. ff. de stipul. Servor. l. 35. §. fin. ff. de furt. §. 47. Instit. de rer. divis. g) De I. N. & G. lib. 4. Cap. 6. §. 12. h) cit. l. 1. ff. pro derelict. i) l. 2. ff. ibid. k) l. 25. §. 1. ff. solut. matr. quemad. l. 9. §. 1. ff. de jur. dot. l. 9. ff. de impens. l) arg. l. 1. in prin. ff. de his qui sui vel alien. jur. In prin. Instit. eod. Tit. Instit. prin. de Tut. l. ult. ff. §. fin. de legat. 3. l. 38. §. 5. ff. de verb. obl. l. 32. ff. de reg. jur. l. 32. vers. cum enim. ff. ad Leg. Aquil.* GOTHOFRED. *ibid. lit. E. l. 35. ff. de vulg. & pupil. substit. m) ad l. 2. ff. pro derelict.*

publicis actibus ab Imperatoribus & Regibus in vulgus sparguntur: nam licet Domini voluntas in incertam personam cadat, tamen quia vult quod quisq; acceperit ipsius esse, statim eum Dominum efficit; (n) atq; sic, non ad *Adquisitionem Originariam*, sed *Derivativam* referri deberet. Sed ea intentione, ut omnibus quasi in medio exposita, nulli animo gratificandi, fiat. II. Si Res derelicta erit, requiritur ut *Dominium* ipsum sit amissum, & *possessio* omissa; nam alterutrum si desit, Dominus esse non desinit. (o) E. g. si quis decreverit librum non esse suum, & nihilominus corporaliter retineat, nec derelinquat aut deserat, is sanè libri Dominium non amittit; è contrariò, si librum abjecerit, non tamen eo animo ut illum suum esse nolit, nihil ad Dominii amissionem facit. Ratio autem, cur Dominium *nuda voluntate* non amittitur, hæc est: quod *nuda voluntate* non adquiritur, sed ex certis ac legitimis titulis seu causis. (p) Quæ autem jure contrahuntur, contrario jure pereunt. (q) Præterea, *Possessionis omissionem* necessariam esse liquet; quia, Dominium sine *facto* aliquo non amittitur. (r) Nec obstat, quod inquit Ulpianus: *Dominium statim amitti, re pro derelicto habita.* (s) Si *statim* desinat esse Dominus, non opus est aliquo *facto* ulteriori, nempe *actu abjectionis?* Resp. ex eadem lege: dicit enim apertè JCtus; *amittitur Dominium re pro derelicto habita*; & hoc notatu dignum: aliud namq; est dicere, *re pro derelicto habita*: & aliud *re pro derelicto habenda.* Dominium dicit amissum, non quatenus *Derelictio* consideratur *in fieri*, sed quatenus *in facto esse*; & hoc modo præsupponit *actum abjectionis*, antequam Dominium possit dici verè amissum. Egregiè hoc firmat Imperat. Justinianus, *pro derelicto habetur*, inquit, *quod Dominus ea mente abjecerit, ut id in numero rerum suarum esse nolit*; (t) loquitur heic in præterio, *abjecerit*, non ergo *derelictum*

n) *l. 9. §. 7. ff. de acq. rer. dom.* *Instit. §. 47. eod. tit.* o) *l. 17. §. 1. ff. de acq. poss.* p) *l. 20. C. de pact.* q) *l. 100. ff. de reg. jur. l. 35. & 153. ff. eod. tit.* *l. 46. ff. de acq. poss.* r) *l. 11. ff. de reg. jur.* s) *cit. l. 1. ff. pro derelict.* t) *Instit. §. 47. de rer. divis.*

*derelictum* præsumit lex, nisi talis actus antecedat. Et, siquidem *abjectio* seu *omissio rei*, quæ in *facto* consistit, est contraria *Traditioni*; ita, veluti *traditione* Dominium, in LL. Rom. adquiri dicitur: (u) sic etiam per *actum derelictionis* amittitur. (x) Instabit quis? dictum superius: *Dominium esse incorporale quid ac in Jure consistens, quod solo animo conservari potest, ideoq; nuda voluntate amitti: quia, contrariorum eadem ratio*; (y) *neq; sic opus esse facto aliquo corporali & externo, cum actus voluntatis internus, juri suo renunciando sufficiat; qua tamen ratione nec dici potest, Dominium hoc ipso sine facto nostro, contra LL. dispositionem, amitti: quia actio quoq; voluntatis in facto aliquo sistitur?* Equidem fatemur, si merum Jus Nat. inspiciendum foret, utiq; à parte derelinquentis, alii cuipiam, Rem occupanti, meritò objici non posse, eundem contrectasse alienum, invito Domino; cum ipse de Jure suo sponte decesserit: verùm, cum Lex Civilis, præcipuè circa actiones hominum exteriores occupata sit, neq; animi sensa penetrare facile datur, nisi quatenus externo aliquo signo prodantur; propterea nec Rem pro derelicta haberi præsumit, antequam hoc ipsum Dominus, *exteriori actu* ac *signo sufficienti* declaraverit, cui interna saltem actio voluntatis, vix respondere valet; cum nemo simpliciter scire possit, quid animo volvat alter. Cum autem statuimus, *Jure Nat. omissionem possessionis non requiri*: illud saltem intelligendum venit, quoad *forum internum*, nam si ad *externum* respiceres, æquè ac Jure Civili, eandem requiri constat; quia, *actus internus*, dicente Grotio, *naturæ societatis humanæ non congruit.* (z) Et loco alio: *nudis animi actibus, efficientiam juris tribuere, non fuerat congruum naturæ humanæ, quæ nisi ex signis, actus cognoscere non potest.* (a) Jure autem Pat. pro derelicto habita, censentur amissa, quæ Dominus inter annum & noctem non repetat, cujus partes duas lucratur Fiscus Regius, tertiam verò inventor. (b) Alia tamen est ratio

u) *l. 9. §. 3. ff.* *Instit. §. 4. tit. cit.* x) *l. 100. ff. de reg. jur.* y) *Conf. cit. heic sub lit. L. sup.* z) *de I. B. & P. lib. 2. Cap. 6. §. 1.* a) *lib. 2. Cap. 4. §. 3.* b) Tiuf. B. U. *Cap. 32. & 36. Cap. 11. & 14. Stl. eod. tit.*

ratio **Botnfynd**/cujus dimidia pars Fiſco, altera inventori cedit. (c) Ratio diverſitatis hæc mihi videtur: quod quæ in profundum demerſa inveniuntur, majori cum moleſtia ab inventore ac difficultate extrahenda & adprehendenda ſunt.

§. XVII. Ad calcem hujus Capitis, quæſtionem iſtam ſubjungere libet: *An fera animalia, quæ cuſtodiam noſtram evaſerint, & in naturalem libertatem ſe receperint, denuo fiant occupantis?* De Jur. Rom. ſine dubio, adfirmandum. (d) Quod equidem GROTIO eatenus non arridet, hoc ſcilicet modo Dominium *per ſe* amitti; eo, quod *feræ cuſtodiam evaſerint*: ſed ex *probabili potius conjecturâ*; quod nempè difficilimam ob perſecutionem, eas pro derelictis habere credamur, præſertim cum internoſci ab aliis non poſſint, quæ noſtræ fuerint; ſi autem, hæc conjectura per alias elidi poſſit, nimirũ ſi addita ſint feræ γνωρίσματα ſive crepundia, iterum Domino eſſe reſtituendas. (e) Exiſtimo tamen ſuam LL. Rom. manere authoritatem; dicit enim JC. GAJUS in lege citata: *Cum evaſerit cuſtodiam noſtram & in libertatem naturalem ſe receperit, noſtram eſſe deſinit*; quod non ita ſimpliciter accipiendum, veluti *quam primum evaſerint cuſtodiam, noſtras eſſe deſinere:* ſed tum demum, *ſi naturalem libertatem receperint*, quod à priori non eſt dividendum; quia, *plura quoties copulativè ponuntur, omnium complementum requiri, nec ſufficere impletionem partis*, (f) Dd. concluſio eſt recepta. vid. BARBOSA. (g) Non autem abſolutè dici poteſt *naturalem libertatem recipiſſe*, donec probabiliter recuperationem quis ſperat; ſed denicq; ubi perſecutio earum difficilima cenſetur, quo ipſo animus derelinquendi, deſinente perſecutione, præſumitur. Adeocq; dictam legem JCtus ex l. 5. ſeqventi ſupplet: *Naturalem autem libertatem recipere intelligitur, cum vel oculos tuos evaſerit, vel ita ſit in conſpectu, ut difficilis ſit ejus perſecutio.* Nec aliter ſentit Imperat. (h) Deciſionis ratio hæc videtur: quod

*c) Cap. 36. & Cap. 15. Stil Tit. cit. d) l. 3. §. ult ff. de acq. rer. dom. §. 12. Inſtit. eod. e) De J. B. & P. lib. 2. Cap. §. 3. f) arg. l. 5. ff. de condit. inſtit. g) Axiom. lib. III. Cap. XCV. h) §. 12. Inſtit. cit.*

quod Dominium ferarum incipit à *modo poſſidendi naturali*, ſeu *occupatione*. (i) Ergo, Dominii conſtituti amiſſo à *non-naturali*; quia, quo genere aliquid colligatur, eodem diſſolvitur. (k) Qui *naturalis modus* eo extendendus, usq; dum planè in libertatem naturalem ſe receperit. Add. DONELLUS qui ita: *quemadmodum in fera occupanda placet, eam non prius noſtram fieri, quam certùm ſit eam in noſtram poteſtatem perveniſſe*, (l) *ſic ea à nobis capta, non prius hæc poteſtas deſinat, quam certum ſit, feram eam poteſtatem evaſiſſe.* (m) Licet verò, ad *adquirendam poſſeſſionem* animalium, requiritur corporalis adprehenſio, ita ut teneri poſſunt cum volumus; (n) *Adquiſita* tamen teneri poteſt *ſolo animo*, ſic, ut non ſemper neceſſe ſit *actu* Rei inſiſtere, ſed ſaltem aptitudine ac poteſtate *corporalem adprehenſionem* adeſſe ſufficiat; (o) quia, *quod deſit naturali poſſeſſioni, id animus implet.* (p) Cauſa, cur *ſolo animo* retineri poſſit, hæc: quod *poſſeſſio adquiſita*, tribuit facultatem ſeu *Jus inſiſtendi*, (q) quod ſolo animo conſervari poteſt, ut facto aliquo externo corporali ſemper opus non ſit. Hinc in genere concludo: Dominium ferarum, quæ cuſtodiam evaſerint, probabiliter tamen recuperationi obnoxiæ, in ſola *detentione poteſtativa* conſervari poſſe, nec *actuali* ſemper opus eſſe, prout vult ZIEGLERUS. (r) Si autem fera, ita è cuſtodia evaſerit, ut amplius recuperari penitus nequit, licet maximè volumus, certè amiſſa cenſetur; etiamſi diceret quis, ſe animum poſſedendi non abjeciſſe; quid enim animus proficeret, cum corporaliter adprehendi non poſſet? Alia autem ratio animalium manſvefactorum, nam hæc merito Jure circurum gaudere debent. (s) De quibus præcipuè audienda putarem, quæ ſuper animalia, quibus γνωρίσματα ſunt addita, tradit GROTIUS; quæ inventa Domino ſunt reſtituenda. Idem etiam juris de



*i) l. 1. §. 1. ff. de acq. poſſ. k) l. 35. ff. de reg. jur. l) arg. l. 5. §. 1. ff. de acq. rer. dom. m) Comment. jur. Civil. lib. IV. Cap. XIII. n) l. 3. §. 3. ff. de acq. poſſ. o) ibid. §. 13. p) l. cad. cit. §. 3. ad fin. Vid. GOTHOF. ibid. q) l. 44. in prin. ff. de acq. poſſ. r) ad GROT. lib. 2. Cap. 8. §. 3. s) l. 4. ff. de acq. rer. dom.*

Avibus ac feris constitutum contendit Loccenius. (t) Casum quendam refert Nob. Stiernhöök, de rustico quodam Finnonico, ante annos nonnullos, accipitrem eximiæ magnitudinis, transverberante; cujus alterum crus aureo, alterum argenteo annulo erat circundatum, qui Regis Galliæ fuerat, veluti literæ annulo insculptæ, *Je suis au Roy: Duc de Cheureuse me garde*, indicio erant; minus autem bene custoditus, è Gallia in nemus quoddam Finlandiæ transvolaverat; eoq; modo annulos suos feciſſe creditur. (u)

# CAPUT. IV.

## JUDICIUM DE *PRÆDATIONE BELLICA, ADQUISITIONE ACCESSIONUM* ET *TRADITIONE* INTERPONIT, EASQUE AD *MODOS ORIGINARIOS* NON PERTINERE DEMONSTRAT.

## CONSPECTUS.

*I. Digreſſio ab inſtituto proponitur. Datur* Jus Gentium: *& ex hoc eſt* Prædatio Bellica. Bellum *tamen* Jur. Nat. *quoq; licet. Non verò in infinitum: quia, Juris etiam communio eſt cum hoſte; licet non quà tali.* Bellica Prædatio *non rectè ad* Occupationem, *tanquam* Modum Originarium *refertur.* Pufend. & Grotio *reſpondetur.*

*II. Dominium Rerum bello captarum* Civitati *adquiritur ex Jure Nat. Quid obtinet ſecundum Jur. Pat. & Rom. oſtenditur. Summus imperans LL. eſt ſolutus. Diſtinctio inter* vivere ſecundum Leges *&* LL. ſubjectum eſſe, *ex rigore accepta, corruit.*

*III. Dominium* Acceſsionum, *ex* Rebus noſtris *provenientium ab* Occupatione præſumpta *derivare, non eſt neceſſarium. Acceſsiones ex Rebus* Diverſorum Dominorum, *Naturaliter communionem inducunt. Eò magis in iis, quæ fiunt* ſolum *ex* Re aliena, *Dominus* Suo *Naturaliter non privatur. Quæ ex Rebus* Nullius *exiſtunt, ad* Occupationẽ *ſpectant.*

*IV. Quatenus* Traditio *in transferendis Rerum Dominiis Jur. Nat. neceſſaria rectè decidit* Pufendorf. *Quæ* Modus adquirendi *non eſt. Dominium Invito Jur. Nat. non adquiritur. Alienans ad* Traditionem *Rei compelli poteſt. Movetur & ſolvitur dubium.*

t) *Synop. jur. diſs. 5. Theſ. 24.* u) *de Jur.* Sveo-Goth. *vetuſt. l. 2. C. 8.*

§. 1. Antequam ad *Modum Originarium*, Jure Arbitrario ſubnixum, procedamus; paucis tangendum, quid circa *Modos* quosdam *Adquirendi*, à JCtis Rom. huc referri ſolitis, Nobis ſentiendum venit: eò autem breviores Nos eſſe oportet, quò magis iſti, ad *Adquiſitionem Originariam*, quod demonſtrandum, non pertinentes, extra propoſitum conſtituantur. Id autem conſtat, *Res ab hoſtibus captas*, ad *Occupationem* ab iisdem quoq; referri. (a) Mihi ut adparet, confusè ſatis. Ex ſupra de *Occupatione* dictis, hæcce repetere ſufficit: *Res occupandæ Dominio vacuas eſſe debere; nec ullius Jus obſtabit, quò minus illa exerceri poſsit.* Supponimus: *Jus* quoddam *Gentium*, à *Lege Naturali* diverſum, dari; unde ſeſe *Bellica Prædatio*, quo ad certos Effectus, derivanda offert. (b) *Certos* dico *Effectus:* quin enim *Jus* etiam *Naturæ* Statum bellicum naturali-ſubſidiarium, in defectu Communis Judicis, permittat, neq; negandum; hoc verò Jure, *Damni dati ac Juris violati reparatio major eſſe nequit, quam fuit violatio Juris.* Nam, quod tradidêre nonnulli, *Statu hoſtili inducto, Jus dari in infinitum*; Et, *Nullam cum hoſte eſſe Juris communionem?* hoc ipſum ipſa hominis natura convellit Socialis. Niſi ad eum duntaxat reſtringeres caſum: *Ubi ego alterum, in gratiam mecum redire nolentem, recipere ſum paratus*; huic qua tali, Jure meritovè *Socialitatis Jura* diminuenda. Moribus tamen & Gentium Jure, in *exæquatione damni illati*, ac *Debiti compenſati æquilibrio* non ſemper ſubſiſti, teſtem ipſam omni exceptione majorem voco experientiam. Quo jam demonſtretur, *Bellicam* hanc *Prædationem*, inter *Species Occupationis*, tanquam *Modi Originarii*, haud rectè referri; ad cauſas generales *Belli ſuſcipiendi* Nobis recurrere incumbit. Hoc autem, vel ad *Juris violati* ſeu *Damni dati*, ut dictum, reparationem: vel *Sui* ac *Rerum defenſionem*, moveri patet. *Reparationem* autem eo usq; extendo, quoad *Impenſæ in violentam Juris*



a) *l. 5. §. 7. l. 51. ff. de acq. rer. dom. l. 1. §. 1. ff. de acq. poſs. l. 24. ff. de capt. §. 17. Inſtit. de rer. diviſ.* b) *vid.* Rachel. *diſſ. de Jure Gent. Theſ. 6. & 8.*

*executionem factæ* computantur. Alias enim, uni plus, alteri minus esset: quod Juris inter Gentes *æqualitas* naturaliter non sinit. Utrum jam respiceres casum, *Novi* nihil ac *Originarii* expectandum erit. Si enim *damni dati* seu *Juris violati resartionem* saltem intenderes, quam justè postulare poteris: Debitum poscis: & sic non *Novum*, sed tale quid, quod ex *Tuo* jam olim *quæsito*, decesserat. Sin' verò ob *Defensionem*: nihil *Adquiris*, sed *Adquisita defendis*; sicq; *Res* recuperas, *Dominium* non redit; quia nunquam abfuit. Unum supereſt: dixi, in *exæquatione Damni dati non semper subsisti*; An ergo tunc ad minimum *Novi* quid adquiratur? Respondi, *Dominium Rerum* tali modo captarum, non prius adquiri, quam ubi alter cui Res ereptæ, per pacta pacemvè prætensioni ad easdem renunciarit; quo pendente, Jus ipsi manet, easdem iterum vindicandi, quandocunq; commoda fert occasio. Quæ ideo adfert PUFENDORF. *In bello Res hostium in ordine ad alium hostem redduntur velut Dominio vacuæ; non quod hostes per bellum ipso Jure rerum suarum Domini esse desinant, sed quia illorum Dominium non obstat hosti, quo minus eas res auferre, sibiq; habere possit*; (c) Nostram opinionem non infringunt: cum vel ipsomet fatente, *Rerum bello captarum Dominia, ultimam firmitatem adquirere, quando is, cui illæ ereptæ fuerunt, per pacem prætensioni ad easdem renunciat.* (d) Si hoc, non *Novum* utiq;, sed *Jus adquisitum renunciantium* continuatur, ac in adquirentes transfertur. Quod an *Originariè?* an *Derivatè* fieret? vel cæcus videret! Neq; officit, si cum GROTIO *Dominium* tale quo ad *Effectus externos* (e) vocares; nempè, quatenus vi solum externâ nititur: in *foro* enim *interiori* rem non absolvit, quod tamen *Occupatio* præstare debet, si per eam Dominium adquiratur.

§. II. Quæstionem intactam relinquere æquo animo non possum, An nempè, *Res bello captæ singulis capientibus?* an *verò Civitati adquirantur?* Heic non in uno dissenserunt haud pauci. Nos ex Jur. Nat. pro isthac concludimus. Scilicet, ipsi primario

*c) de I. N. & G. lib. IV. Cap. VI. §. 14. d) ibid. loc. cit. e) de I. B. & P. lib. 3. Cap. VI. §. 2.*

rio adquiri cujus auspicio bellum geritur, hoc est, non militibus seu singulis capientibus, sed toti Civitati seu ejusdem Rectori. Milites enim suo contenti esse debent stipendio: cui ergo id, quod stipulatum est, penditur, is nulla injuriâ afficitur, cum suum consequatur. Adeoq; nulla hic naturaliter, locum habere, tanquam ex *debito* Justitia distributiva potest; quâ volunt quidam, inter *Milites prædam distribuendam esse*. Quia, nullo Jure hoc postulare, queant. Non enim tam ideò quis *Justitiam* exercere dicendus, quatenus *alteri quid tribuit*: quam quatenus alter, *Jure debito sibi, postulare id potest*. Quicquid summus imperans hoc in negotio statuit, meræ liberalitati tribuendum. Minus rectè hic inter actus *belli Publicos* ac *Privatos*, distingvit GROTIUS, (f) ut probè notatum ZIEGLERO. (g) De Jur. Rom. Dd. differentiam inter *Res mobiles* & *Immobiles* faciunt; hæ Jur. Com. *publicentur*: (h) Istæ *Singulis capientibus* adquiruntur. (i) Si nempè durante adhuc bello, hostibusq; nondum devictis sint ereptæ. Add. RICHTER. (k) & HUNNIUS. (l) Nam quæ hostibus victis & jam expulsis eorum esse desinunt, prædæq; nomine propriè veniunt, Reip. itidem cedunt. (m) Nec aliter ex Jur. Saxonico CARPZOV. (n) & SCHNEIDEWIN. (o) dicendum putant. Novissimo Jure Militari Pat. ita constitutum: **Fångas något Byte i en öfwerwunnen Stad/ Slått/ Fläck/ Fästning eller fiendteligit Läger; der af hörer Oß till alle Stycken/ Krut/ Lood och** Ammunition, **som i förråd är/ så at alt det** proviant **och** victualie, **som i allmänne Huus och förwaring finnes/ jämpte dhe ståfwe eröfrade**



*f) de I. B. & P. lib. 3. Cap. VI. §. 10. g) ad eund. loc. cit. h) l. 16. ff. de acq. rer. dom. l. 20. §. 1. ff. de capt.* GOTHOF. *ad eand. leg. l. 3. ff. de jur. fisc. i) l. 7. §. fin. ff. l. 51. ff. de acq. rer. dom.* GOTHOF. *ad eand. leg. Instit. §. 17. eod. tit. k) Velit. Acad. 28. Thes. 23. l) Var. resol. Jur. Civil. lib. 2. Tract. 1. Quæst. 16. m) l. 13. ff. ad leg. Jul. Pecul. l. 28. ff. de capt. n) Jurisp. for. part. 4. Const. 35. def. 8. n. 5. & 6. o) ad Instit. §. 17. de rer. divis. n. 2.*

Slått/Städer/Länder/Folk/och Fläckar/hwilka sedan dhe i Hyldigung tagne äro/och Edh giordt hafwa/hwarken på et eller annat sätt skole beskadas/hwad elliest och utom publique huus/twisd sådanne tillfällen kan crösras/ hörer och dhelas militien till/sedan tijonde delen för dhe siuke ár afdragen. (p) In totum ergo hoc ex arbitrio Summi Imperantis pendet; *cujus non est imperata facere, sed imperando facere ut fiant*: GROT. (q) Cum ipsemet LL. sit solutus. (r) Et in tantum quidem, ut ne vel hanc saltem locutionem, tanquam adcuratam, tolerare possimus: quod puta, *vivat secundum Leges, si non subjectus Legibus.* Indeq; super mota quæstione, prout è salute publica videtur, disponere potest.

§. III. Equidem JCtis recepta ordinis ratio svaderet, absoluto *Modo Originario Adquirendi, Nat. Jur. fundato*, ut ad explicationem *Accessionum* interpositâ sententiâ nostrâ de *Occupatione Bellica*, descenderemus: verùm, cum *Novi* ac *Originariè* nihil itidem *Adquirendi* occurrat, meritò insimulationem citra, in *Rubrica* cujusdam *promissi* & *non præstiti*, curâ isthac supersedemus. Hoc saltem Superpondii loco, ad scita Jur. Nat. addentes. I. Necessarium non esse *Dominium Accessionum* ex *Rebus nostris* provenientium, ab *Occupatione* quadam *Præsumpta*, cum quibusdam derivare. Quia, *Dominio* semel *constituto*, *quicquid ex Re nostra fit, id*, naturaliter puta, *nostrum intelligitur.* (s) Ratio, *quod ex Dominio nemo Jus habet præter Dominum.* GROT. (t) Cui etjam Jur. Rom. (u) addi merentur. Conf. RACHFL. (x) Quin &, *Accessiones* ac *Incrementa* ista, quæ *intrinsecè* quasi in *Rebus* continebantur, ubi *Res* primùm à Nobis occupatæ, *implicitè* hactenus *Dominium* subiêre, circa quæ deindè *Dominii Effecta*, dum separatim â suis Substantiis existere actu incipiunt, exerceri possunt.

p) *Tit. 20. art. 119.* q) *de Imp. Sum. Imp. circa Sac. Cap. 1. p. m. 24.* r) *l. 31. ff. de Leg.* s) *l. 2. l. 6. ff. de acq. rer. dom.* t) *de I. B. & P. lib. 2. Cap. X. §. XI.* u) *l. 5. §. 15. ff. Commod. l 3. §. 5. ff. de acquir. amit. poss.* x) *Instit. Juriſp. l. 2. Tit. 12. Theſ. 10.*

possunt. II. *Accessiones*, quæ *Rebus nostris aliundè*, hoc est, *concurrente etiam nostrâ cum Re Dominio alterius subjecta* adveniunt, *Diversos Dominos* inter, *Communionem* quandam, *pro ratâ, Naturaliter*, parere. Ratio, quod *Unius Domini Res*, tali in casu, *non sola Accessionem* absolvit, nec *per se* ad *dandam occasionem Juris in Re tota*, sufficit. Repetitâ itaq; ratione â GROTIO adlatâ, plenius sic enunciare placet: *Ex Pluribus non possunt Singuli, Ejusdem Rei in solidum, absq; contradictione, Domini esse.* Dicis: possunt saltem *ex parte*? largior non invitus; sed sic *Res est communis*: quod volo. III. In *Accessionibus* quæ *solum ex Re alienâ* fiunt, eò æquius est, hunc *Re suâ, Naturaliter*, gratis non privari, quò minus heic *Res alterius* ad producendum *Accessorium* non concurrit. Quia, *nemo absq; suo facto, Re suâ carere debet.* (y) IV. *Accessiones*, quæ *Rebus* ex *Nullius* nostris adveniunt, ad genus *Occupationis* pertinere: sed de hac jam dictum. Valdè licet dubitem: An hæc *Adquisitio*, inter *Accessiones, propriè* habenda? Quia *Accessiones* fieri ex *Rebus* quæ sunt *Alicujus*, & non *Nullius*, definiendum Jur. Rom. (z) authoritate subnixus, existimo. Examinatis jam, ad hæcce posita, iis, quæ prolixius circa *Adquisitionem Accessionum* disputant JCti Rom. satis adparebit, quid in iisdem *Juris Naturalis?* quid *Arbitrarii Civilis?* deprehendatur; utut singula ferè ex *Naturali ratione* petita, profiteantur. Nec Nobis quicquam adversum obtineres, si exciperes: Jura Roma istos præcipuè respicere casus, ubi primò *Communio displiceat.* Dein' ubi *Res commodam respuant Divisionem.* Postea, *nec volunt quemquam, absq; suo facto, Dominio Rei suæ excidere, cum plerumq; salvam ejusdem æstimationem relinquant.* Et, concurrentibus hisce, cui tum ut *Res tota* adjudicetur, *Naturali* convenientius *Juri*? Speciem certè non exiguam authoritatis defendendæ hæcce præbent: sed quæso, & ipsemet quæstiones, ne vitium confusionis oriatur, separes, sine dubio aliud erit quærere, *Cui ut Res tota, tali in casu, adjudicetur, Jur. Nat. convenientius?* quæ quæstio non tam ad *Modos Dominii Adquirendi*, quam ad *Officium*

y) *l. 11. ff. de Reg. jur.* z) *l. 23. §. 4. ff. de Rei vind.*

*Officium Judicis* ſpectare, vix dubito; cujus eſt decidere, quænam *Res* pro *Principali*? quænam pro *Acceſſoria?* ad poſtulata æquitatis naturalis ſit habenda. Licet, ex *generali* quadam *regula, ſingulos caſus* derimere velle, difficilè admodum procedere affirmo. Quia vel minima interdum circumſtantia, aliam planè negotio ſuperinducit faciem. Conf. PUFENDORF. (a) Et, aliud eſt *negare alterum nihil Juris naturaliter habere in Re, uni adjudicanda*: quod vix eos ſuſtinere credere; quia, adjudicatione Judicis aut Arbitri opus ſic nō eſſet. Liquet ergo, in tali caſu, ubi interpoſitâ authoritate Judicis aut Arbitri controverſia finienda, non *Originariè* ſed *Derivativè, Rem adquiri.* Quia, *Res* in *ſtatu* tali *Communionis, Dominio utriuſq; Domini,* tanquam *unius perſonæ,* ſuberat: cum *Nullius* planè non eſſet: alias enim *Occupanti tertio* cederet, quod ſtatuere velle, abſurditate haud careret.

§. IV. Ultimum *Adquirendi modum* faciunt JCti ex Jure Nat. *Traditionem.* (b) Quæ, *an eodem Jure neceſſaria ſit in Dominiis Rerum transferendis?* adverſus JCtos Rom. negat GROTIUS. (c) Cui ſeſe RACHELIUS (d) oppoſuit, authoritatem Jur. Rom. vindicans. Variis variorum opinionibus recenſitis, PUFEND. (e) rem, factâ diſtinctione, & appoſitè quidem, decidit. Nobis ad alia properantibus tetigiſſe ſatis. Id obſervarunt alii, *Traditionem, Modum adquirendi* non eſſe; ſed potius *corporalis detentionis abdicationem.* Nec convenienter minus: quia, *Modi adquirendi* illi ſunt cenſendi, qui *liberè* exerceri poſſunt; cum *Dominium* naturaliter *invitis* non adquiratur. *Traditio* autem ex neceſſitate morali ac *obligatione* quadam fit: &, ab *invitis* etiam extorqueri poteſt. Præcedentibus enim *Causâ, Titulove* ad adquirendum ſufficientibus, (f) *Traditio* amplius *Res arbitrii meri* non eſt, ſed *debiti.* Alienans namq; ad *Traditionem,* viâ Juris, cogi poteſt. (g) Add. HAHN.

*a) De I. N. & G. lib. IV. Cap. VII. §. 9. & 10. b) §. 40. Inſtit. de rer. diviſ. c) de I. B. & P. lib. 2. Cap. VI. §. 1. & Cap. VIII. §. XXV. d) Inſtit. Juriſp. lib. 2. Tit. VII. Theſ. VI. e) de I. N. & G. lib. IV. Cap. IX. §. 5. & ſeqq. f) arg. l. 31. in prin. ff. de acq. rer. dom. g) arg. l. 32. C. de fideicom.*

HAHN. (h) Nec obſtat: quod *Traditionibus Dominia rerum transferri* dicantur? (i) Aliud enim eſt *Rerum dominia adquiri*: aliud *transferri.* Illud tam in *Adquiſitione Originariâ*, quam *Derivativâ*; hoc in *Derivativâ ſolum*, locum habere poteſt. Quod demonſtrandum erat. Præterea, neq; *nudâ Traditione*, niſi juſto præcedente *titulo*, Dominia Rerum transferuntur. (k)

# CAPUT. V.

## *MODUM ORIGINARIUM*, ADQUIRENDI DOMINIUM, *JURE ARBITRARIO* SUBNIXUM, ABSOLVIT.

### CONSPECTUS.

*I.* Jure Civili *Uſucapio eſt introducta, ob bonum publicum, ne Rerum Dominia incerta, & finis litium eſſet.*

*II. Quæ Juri Nat. non eſt contraria. Variorum de æquitate opinionibus recenſitis, Noſtra ſubjungitur, & Lex quædam Specialis Nat. explicatur.*

*III.* Poſſeſſio, *quæ fundamentum eſt Uſucapionis, quæ illa & quotuplex? Sola* Civilis *ad Uſucapionem neceſſaria. Error quidam quorundam JCtorum notatur & demonſtratur.*

*IV.* Requiſita Eſſentialia *Uſucapionis, ſunt* (α) Bona fides.

*V.* (β) Juſtus Titulus.

*VI.* (γ) Traditio Rei.

*VII.* (δ) Res habilis & non prohibita.

*VIII.* (ε) Tempus continuum Lege definitum.

*IX. Demonſtratur hunc* Modum Originarium *eſſe.*

§. I. IN viam redeuntibus, ſeſe, loco poſteriori in Jure *adquiſitionis Originariæ*, ſingularis quidā *Adquirendi modus, Uſucapionis* nomine JCtis familiaris, explicandum offert; quem *præſidiarium auxilium*, & *auxiliarem modum* dicit CONRADUS LAGUS. (a) Exemplo forſan Imperat. ductus, qui eundem *auxi-*

O *lium*

*(h Obſ. ad* WESENBEC. *de act. empt. & vend. n. III. i) l. 20, C. de pact. k) l. 31. in prin. ff. de acq. rer. dom. a) Method. Jur. Civil. part. 2. Cap. 42. n. 2, & 5.*

*lium* (b) quoddam adpellat. Qui, ad quodnam potiſſimum Jus ſit referendus, opinionum varietas, nosmet ferè dubios reddere potuiſſet; cum tamen quà *Formam* & *Cauſam Efficientem proximam*, à *Jure Civil.* revera deſcendat, memores ſupradictorum, ubi *Modos adquirendi originarios* diſtinxi in *Naturales* & *Arbitrarios*, eundem huic Juri accenſere, & lubet & decet. (c) Add. DUAREN. (d) Alii alias hujus adſtruunt deſcriptiones; Nos ita: *Uſucapio* eſt *Modus originario-arbitrarius adquirendi Dominium per poſſeſſionem Rei alienæ, concurrentibus requiſitis lege definitis, bono publico introductus.* Objectum, *Rem* conſtituimus *alienam*; nam intuitu *Rei propriæ*, hunc *Modum* introduci neceſſarium non erat; cum *Domino* eo ipſo aliquid non adquireretur: quia, *ſemel quod noſtrum eſt, amplius noſtrum fieri nequit*; (e) ſiquidem *Dominium non niſi ex unica cauſa contingat.* (f) *Nemoq; Rei ſuæ Dominium adquirere poteſt*; inquit GOTHOF. (g) conf. MOLLENB. (h) Sed, ortis jam Dominiis, aſſiduæ inter homines exerceri cæperunt alienationes, nemo autem facilè alterius factum ſcire potuerit, utrum Rem tradens Dominus erat vel minus; ſi enim prius, *Uſucapione* adquirenti opus non fuit: cum alienans, *Dominium*, interveniente ex *Juſto titulo, traditione*, transferret. (i) E contrariò, ſi Dominus non eſſet, Dominium in alterum transferre non potuiſſet; (k) ſed *uſucapiendi conditionem*, ipſum autem *Dominium*, poſſeſſori poſteriori ipſa Lex adjiciebat; quæ *Juſta ex cauſa dandi Dominii Jus habet.* GROT. (l) Unde JCto MODESTINO definitur *Uſucapio*, quod ſit *Dominii adjectio.* (m) Non veluti ex *Uſucapione*, tanquam cauſa efficiente, ipſum Dominium Poſſeſſori adjiceretur, quod ex Lege provenit: ſed eſſet tanquam medium

*b) l. 8. C. de præſcrip. 30. & 40. annor. c) arg. §. 6. Inſtit. de uſu & habit. Item, in prin. Inſtit. de uſucap. d) in Tit. ff. de Uſur. & Uſucap. Cap. I. e) l. 45. ff. de reg. jur. Inſtit. §. 14. de act. f) l. 3. §. 4. ff. de acq. poſſ. g) ad. leg. cit. ff. h) Diviſ. jurid. cent. 2. diviſ. 98. Item cent. 3. diviſ. 2. addit. 3. n. 40. i) l. 20. C. de pact. §. 40. Inſtit. de rer. diviſ. k) l. 45. ff. de reg. jur. l. 20. ff. de acq. rer. dom. l) lib. 2. Cap. 8. §. 5. m) l. 3. ff. de uſucap.*

medium ac modus, per quem Dominium Poſſeſſori adquireretur. *Ipſa enim adjectio*, ait MYNSINGER, *ad actum Civilem refertur.* (n) Et, *Uſucapionem non tam transferre Jus prioris Domini, contra quem currere incipit, quam illud extingvere, novumq; à Lege tribui*, vult VAZQUIUS. (o) Quod & pluribus demonſtrabitur inf. Ne propterea, priori Domino, Jus perpetuò maneret, eandem â Poſſeſſore repetere; cum eo ipſo ſequeretur, *neminem ferè, Rei, adverſus quemvis petitorem, certum ac quietum unquam Dominium habere: litesq; ſic in infinitum extenderentur*; utiliſſimum videbatur, Modum Uſucapiendi, certis ac fatalibus temporum periodis, determinari, quibus præterlapſis, validam exceptionem, adverſus petitorem, allegare Poſſeſſor potuiſſet, certusq; de Rei Dominio efficeretur, eſſetq; hic Modus, tanquam *præſidiarium auxilium, ad quod recurrendum, cum in poſſeſſione ſua inquietaretur*, ut cum ſupra citato CONRAD. LAGO, (p) loquar.

§. II. Uſucapionis Objectum, *Rem alienam* fecimus, haud ergo immerito quæritur; *Anne hæc legi Nat. repugnet?* Maximè enim Naturali æquitati diſſonum eſt, *Noſtrum ſine facto noſtro ad alium transferri.* (q) Suum tribuendum cuiq;. *Quilibet namq; rerum ſuarum moderator eſt, ac arbiter.* (r) *Nec aliquis cum alterius damno & injuria locupletandus.* (s) Conſentiunt LL. Pat. **Hwar ſkall ſina ſaak enſam bötha / och engin annars luth förwärka.** (t) Item, **Engin böör oſakum bötha.** (u) Quapropter, *quod ab initio vitioſum eſt, tractu temporis non poteſt convaleſcere.* (x) Cum *nudum tempus, introducendi vel tollendi obligationem modus non eſt.* (y) Add. GOTHOF. (z) Herculeæ ſanè hæ videntur rationes, Nodoq; Gordio validiores, nondum tamen tanti, ut probent, quod volunt, utut minus cautum facile in partes poſſent rapere ſuas. Hinc magni alias nominis JCti, nec huic opinio-



*n) ad Inſtit. eod. tit. n. 7. o) Controv. Illuſtr. Cap. 68. n. 4. p) loc. cit. n. 2. q) l. 11. ff. de reg. jur. r) l. 21. C. de mand. s) l. 206. ff. de reg. jur. l. 14. ff. de cond. indeb. t) Cap. 21. ErdzB. LL. u) Cap. 29. TingM. LL. x) l. 29. ff. de reg. jur. y) l. 44. §. 1. ff. de oblig. & act. z) ad eand. leg. lit. T.*

opinioni subscribere dubitarunt. Eò dilabitur CUJACIUS, quod non solum dicat, *Usucapionem pugnare cum Jure Gent. quod ea Dominium invito auferat, sed etiam cum ipsa æquitate naturali, licet bono publico fiat.* (a) A quo nec dissentit HELFRICUS HUNNIUS, statuens: *Jus usucapiendi, æquum esse intuitu Jur. Civil. æquitati verò Nat. contrarium.* (b) Cum quo etiam facere videtur DUARENUS. (c) Nec abit HOSTIENSIS, *Usucapionem*, inquiens, *esse introductam contra æquitatem naturalem, licet bono publico.* (d) In hoc opinionum concentu, varia excogitarunt varii, unde ratio æquitatis Nat. foret petenda? HUGO de ROY, ad *Potestatem Summorum Imperantium, puniendi sontes, confugit, hancq; legem constituit pœnalem.* (e) GROTIUS ad *tacitam Domini derelictionem* provocat. (f) Quibus respondet PUFENDORF. & *Gentium quadam tacitâ conventione niti*, contendit: *quemadmodum Dominia* inquit *pacis causa sint introducta, ita & illud ex eodem fonte promanare, quod Possessores b. f. aliquando sint in tuto collocandi, nevè ipsis in perpetuum, super sua possessione controversia queat moveri*; & paulo inferius: *Cum Dominia rerum introducerentur, id quoq; pacis causa placuisse, ut qui aliquid neq; vi, neq; clam, neq; precariò, suo nomine possideret, tantisper Dominus præsumeretur, quo ad ab altero contrarium probaretur.* (g) Adeoq; inter eos rectè allegari existimat, *qui solo inter se nexi sunt Jure Nat. ac Gent. hoc est, inter diversas Civitates.* (h) Quicquid sit, longas istas Possessiones inter Gentes allegari solitas, à longè alio fundamento deducendas puto. Vid. CYRIAC. LENTUL. (i) Cumq; in superioribus, *Pactum* aliquod *Gentium* circa *Originem Dominii* non agnovimus, neq; istud heic loco fundamenti acceptamus. Præterea, vel ipsomet agnoscente, *Jure Nat. certum aliquod tempus determinatum non esse*, sed hoc interventu LL. Civil. fieri, nec ideo *Usucapionis* nomine rectè venire potest, nisi simul *tempus determinatum*, tanquam *Essentiale requisitum*, constituatur. FELDENUS frustra ait *Jus Nat. in jure Usucapiendi quæri, cum illud æquè justum ac injustum dici possit.* (k) Cui sese GRAZWINKEL. opposuit, GROTIIq; causam pro aris & focis defendit. (l) Quid in hac sententiarum discrepantia? fugiendum ne, an standum? illud turpe quidem, hoc verò glorioſum, sed periculo expositum. Tentabimus inprimis, an distinctione in re fundata, digladiantes conciliari possint? sin minus, nostra quoq; subjungenda erit sententia. Dicimus, aliud esse *immediatè*, hoc est, *citra interventum LL. Civil. à. LL. Nat. demonstrari non posse*: & aliud, *LL. Nat. repugnare.* Invalida est illatio: *hoc vel illud ex LL. Naturalium non prono fluat alveo, ideo cum iisdem pugnat.* Equidem fateor, *Usucapionem*, quoad *singula* sua *requisita* à Lege Nat. non posse deduci, quod tamen eidem sit contraria, vix victas manus dabo. Undè eandem *Naturaliter justam* pronunciare possum, *sensu*, ut terminis utar GROTIANIS, *magis negante* quam *ajente*: (m) hoc est, quod *non sit Naturaliter injusta.* Non tamen sequitur, quod *Justum naturaliter*, id est, *Justum positivè tale ac determinatum à Lege naturali præceptum*, non est: Id *naturaliter est injustum*, hoc est, *vetitum.* Aliud est *Justum* esse, aliud *Injustitia carere.* Illud ponit aliquid, hoc negat. Illud determinatum ac certum, hoc indeterminatum ac indifferens. Varia potuerim adferre exempla: unicum, de *Imperio mariti in uxorem*, adduxisse satis; quod, quanquam *à Lege Nat. citra consensum uxoris, demonstrari nequit*, cum eadem tamen non pugnat. Hæc si digerere nequis, accipe promissum. Rationem æquitatis, introductæ Usucapionis, à *Communi fine ac scopo Civitatum maximè arcessendam*, ducimus. Homo enim, non solum naturali quadam propensione, ad Societatem cum sui similibus ineundam, gaudet: sed etiam in eadem, vel natura, vel arbitrio, actu constitutus reperitur. Societates inter se, quam maximè discernunt *Fines.* Arbitror: Finem Civitatis, ut species *Societatis naturalis*, in verâ



a) *ad leg. 1. ff. de usucap.* b) *Var. resol. jur. Civil. lib. 2. Tract. 3. Quæst. 2.* c) *in Tit ff. de usurp. & usucap. Cap. 1.* d) *lib. 2. sum. aur. Tit. de præscript. & usucap. §. 2.* e) *lib. 3. tit. 3. 4. de eo quod justum est.* f) *de I. B. & P. lib. 2. Cap. 4.* g) *de I. N. & G. lib. 4. Cap. 12. §. 9.* h) *Ibid. §. 11.* i) *de Jur. cir. bell. & pacem obs. part. 1. Cap. 16.*

k) *In cens. ad* GROT. *loc. cit.* l) *In strict. ad cens.* FELDEN. *loc. cit.* m) *de I. B. & P. lib. 1. Cap. 1. §. 3.*

*beatitudine Civili*, hoc est, pace ac tranquillitate communi, non uni homini, sed toti insinuanda populo, situm esse. Huic enim, Causa ejusdem impellens, id est, *imminentium homini ab hominibus malorum metus*, correspondet. Id tamen certus: *Pactis* nihilominus Civitates constitutas; quæ, *Imperantium* sine ac *Obedientium* ordine, concipi non possunt. Ut verò, horum ex voluntatum submissione, Jurisq́, quo in Statu Naturali, sese suasq́ actiones dirigendi gaudebant, renunciatione: Istorum Summum resultavit Imperium; utpote, iisdem solum exercitio Juris istius relicto. Sic Summum id non esset, nisi concedatur necessum; Eidem, non tantum Jus imperandi Civibus, sed etiam de Bonis eorundem, prout è Publica salute sit, disponendi potestatem competere. Nam *Civem esse*, hoc est, cujus totam *Essentiam*, sola *non-resistentia* exhaurit, implicat: & Bona dispositioni Summi imperantis, velle exemta. Finem qui vult, in se quantum, Jus ad media, aut det, aut relinquat, necessum. Imperium hoc Summum, utut in se res una ac indivisibilis, quin tamen varia ejusdem possimus concipere Jura, Summitati non repugnat. Quæ inter & alia, hoc haud eminet minimum: quod Res privatorum, Singulorum licet Dominio præmunitæ, ab uno in alterum, Bono poscente publico, conferre potest. His concessis: facilè adparet, *Usucapionem Juri Nat. non esse repugnantem.* Est namq́ hæc, Bono introducta publico, ne *Rerum Dominia semper ferè incerta essent.* (n) Et, *Possessores perpetua formidine rerum amittendarum haud premerentur.* (o) Simulq́, *ut aliquis litium esset finis*; (p) *quas minui & sopiri publicè interest.* (q) *Publicam verò hanc utilitatem, præferendam privatæ*, (r) ex *Fine Civitatum* fluit. Et illa, Usucapioni fundamentum dedit. Præceptum Naturale: *Domino invito non est aliquid auferendum*, tacitam hanc in se continet exceptionem: ni *Publica aliud poscat utilitas. Cujus semper major ratio, quam commodi privati est habenda.*

*n) l. 1. ff. de usucap. o) l. 7. C. de præscript. 30. & 40. an. p) l. 5. ff. pro suo. q) l. 21. ff. de usucap. r) l. 43. ff. de relig. & sumpt. funer. l. 9. §. 5. ff. de pub. & vectig. l. unic. C. de cad. tol.*

*benda.* (s) *Salus namq́ populi suprema lex esto!* (t) licet valdè hæream, an Domino, morali æstimatione, rectè quid auferri dicatur? Is enim *Suo* demum privari dicendus, qui *Jure invitus* esse potest. An idem heic valeat, non viderim. Civis enim, semel subjectus imperio ac directioni superioris, velle ipsius non est, sed alterius; cum ad præscriptum LL. suas tenetur dirigere actiones. Verbo, qui *æquitatem Naturalem*, ex *utilitate singulorum* seu *privata*, *Civilem* vero ex *plurium* seu *publica* metiuntur; Naturam Naturæ socialis non penetrant. Naturale enim est, partem ab conservationem totius, non vice versâ, resecari posse. Plura ad rationes in contrarium allatas, in ipso dabimus conflictu.

§. III. Exposito, pro virûm modulo, Jure, quô *Modus* hic *Adquirendi* nititur: è re nostra ulterius erit, *Requisita Usucapionis*, quæ LL. determinant, explicare. Operæ tamen pretium, si inprimis nonnulla de *Possessione* in genere præmitterentur, nosmet facturos crederem; siquidem per hanc, tanquam ex elemento quodam ac principio initium sumat, & *sine qua contingere nequit.* (u) Quantum namq́ possessum, tantum etiam usucaptum. Est enim heic *Possessio*, veluti *Lapis* quidam *angularis*, ut ait Eckoltus. (x) Non autem intellectam velimus quamvis *Rei detentionem* ac *possessionem*, quali V. g. gaudet, *Creditor* cui Res est oppignerata, qui Usucapere nequit; quia, pro *alieno possidet*: hoc est, *sibi* quidem possidet, non tamen *affectione & animo Domini.* (y) Nec *Conductor*, qui *non possidet*, sed est *in possessione.* (z) Conf. Carpzov. (a) Nec denicq́ *Custos*, *administrator*, aliicq́ similes: cum aliud sit *Possidere*, hoc est, *sibi habere* & *possessorem esse*: & aliud in *Possessione esse*, hoc est, qui verè possidendi ministerium præbent, sic, ut per hos *Jus possessionis alieno nomine exerceatur & continuatur*, ipsi verò nec ullius hujus sunt participes Juris.

(b) Non

*s) l. fin. C. si cont. jus vel util. pub. t) arg. l. cit. C. de cad. toll. u) l. 25. & 44. §. 7. in fin. ff. de usurp. x) In tit. ff. eund. §. 12. y) l. 35. §. 1. ff. de pign. act. l. 13. ff. de usurp. z) l. 2. C. de præscript. 30. & 40. ann. a) Jurisp. for. part. 2. Const. 4. defin. 4. n. 4.*

(b) Non ergo omnis quid videtur possidere, statim possidet: cum *Dominis* non *sibi* possident. Add. CUJAC. (c) Est igitur *Possessio, Jus in Re quo Rem corporalem, cum adfectione eam possidendi, detinere, eiq; insistere licet.* Et hoc modo accepta, est tale *Jus in Re*, quod tribuit facultatem seu potestatem insistendi; sicq; non tam in actuali detentione Physica, quam in potestate ac facultate, proximè ad istam faciente, consistit. (d) Vid. RACHEL. (e) Quapropter nec unicè eam intendimus, quæ cum *Dominio jam adquisito est conjuncta*, sed veluti *peculiare* quoddam *Jus in Re, ab illo separata*, Unde dicitur: *Possessionem nihil commune habere cum proprietate.* (f) Et hanc facimus duplicem: *Naturalem* vel *Civilem*. Ubi tamen probè distingvendi sunt *Modi possidendi* ab *ipsa Possessione*; cujus ratio formalis, in *adfectione & animo sibi possidendi*, consistit. *Modi* autem sunt, *tenere animo* vel *corpore*. (g) *Naturalis possidendi modus* dicitur, *cum non solum animo, sed etiam velut corpore, Rei à nobis semel adprehensæ, insistimus. Civilis* autem *solo animo retineri dicitur, licet eadem corpore quis exciderit.* Conf. PUFEND. (h) Verè autem illi dicuntur *Naturaliter possidere*, qui *Jure aliquo, solo Dominii excepto, potestate legitima gaudent Rei insistendi, eamq; sibi & non aliis detinendi.* Formam itaq; hujus consistere dico, in *adfectione & animo Rem sibi, proprio Jure, Dominii tamen excepto, tenendi & possidendi.* Et hæc opponitur *Civili* seu diversæ speciei. (i) Sic possident, *Usufructuarius*, (k) *Creditor* Rem pigneratam, (l) *Sequester*, cui possessio à partibus est cessa. (m) Qui *Precariò* possidet, (n) *Emphyteuta*, (o) *Vasallus*, (p) *Superficiarius*. (q) Item, qui ex *Titulo* sed invalido possidet; ut mulier in rebus â marito sibi donatis. (r) *Civiliter* autem possidere dicuntur, *quicunq; animo & adfectione Dominii, Rem sibi habent ac possident.* E. g. qui vel *veré* sunt *Rei possessæ Domini.* s) Vel qui pro *Hærede*, pro *Emptore*, pro *Legato*, pro *Suo*, aliisq; ex Titulis facultatẽ usucapiendi tribuentibus possident. t) Hinc dicitur: *Tantundem b. f. possidenti præstat, quantum veritas, quotiens lex impedimento non est.* x) Nec non alii, qui hoc modo possidere intelliguntur. y) Quibus præcognitis dicimus, ad *Usucapionem necessariam esse possessionem Civilem*: absq; qua *Usucapio contingere nequit.* z) Add. GOTHOFRED. (a) Quam gravem ergo errant errorem, SCHNEIDEVINUS, VULTEJUS, (b) HELF. HUNNIUS, (c) MOLLENBEC. (d) aliiq; statuentes, *Naturalem possessionem concurrere posse cum Civili.* Qui enim Rem usucapit, animum debet habere, adfectione ac Jure Dominii istam tenere, hoc est, *existimare se esse Rei possessæ Dominum.* (e) Qui autem Naturaliter possidet, sibi quidem possidet, sed *non animo Domini*, idcirco nec usucapere potest. Neq; enim *Dominii adjectio fit sine voluntate*, (f) hoc est, *opinione Domini.* (g) *Usucapio autem est Dominii adjectio.* (h) Quare nec possit *Possessio Naturalis* cum *Civili* concurrere, cum mediante ista, *Res non possidetur animo Domini*, qui tamen animus, *omninò est necessarius.* (i) Ni alias idem & ponerent & negarent.

§. IV. Jam ad Requisita, quæ hisce versibus includunt Dd. recto tendimus tramite:

Non Usucapies, nisi sint tibi talia quinq;.



*b) l. 10. §. 1. ff. de acq. poss. c) lib. 9. Obs. Cap. 33. d) l. 3. §. 13. ff. l. 6. §. 1. ff. l. 18. §. 2. ff. l. 44. §. fin. ff. de acq. poss. e) Instit. Jurisp. lib. 2. Tit. 12. §. 1. f) l. 12. §. 1. l. 52. ff. eod. tit. g) l. 10. C. de acq. vel ret. poss. h) de I. N. & G. lib. 4. Cap. 9. §. 7. i) l. 13. §. 1. ff. de publ. in rem act. l. 22. §. 1. ff. de nox. act. l. 1. §. 9. ff. de vi & vi arm. l. 3. §. fin. ff. ad exh. k) l. 22. prin. l. 49. ff. de acq. poss. l) l. 7. §. 12. ff. com. div. l. 37. pr. ff. de acq. rer. dom. l. 40. §. ult. ff. de pig. act. m) l. 17. §. 1. ff. de depos. l. 39. ff. de acq. poss. n) l. 4. §. 1. l. 15. §. 4. ff. de precar. l. 13. §. 1. ff. de Publ. in rem act.*

*o) l. 15. §. 1. ff. qui satisdar. cog. p) lib. 2. Feud. Tit. 8. q) l. 1. §. 1. 2. & 4. ff. de superf. junct. l. 22. §. 1. ff. de nox. act. r) l. 1. §. 4. ff. de acq. poss. l. 1. & 2. ff. pro don. s) l. 10 §. 2. ff. de acq. rer. dom. l. 2. C. de acq. vel ret. poss. t) §. 4. Instit. de act. x) l. 136. ff. de reg. jur. y) l. 15. §. 4. vers. sic evenit. ff. de rejud. z) l. 25. ff. de surp. a) ad leg. cit. b) ad Instit. de usucap. c) Var. resol. jur. civil. lib. 2. Tract. 3. Quæst. 3. d) divis. jurid. cent. 3. divis. 1. addit. 2. divis. 2. addit 3. e) arg. prin. & §. 1. Instit. de usucap. f) l. 55. ff. de obl. & act. g) l. 22. §. 1. ff. de nox. act. h) l. 3. ff. de usucap. i) arg. §. 1. Instit. tit. cit.*

*Bona fides: Justus titulus: Res non vitiosa:*
Quod *Res tradatur*: & *Tempus continuatur.*

Vid. SCHNEID. (k) Requitur ergo (a) *Bona fides*, quæ heic nihil aliud est, quam *sincera conscientia, unumquemq; certò excusans, de ignorantia Rei alienæ, quam vel alii tradidit, vel ab alio non-Domino accepit, quem tamen Dominum esse putabat.* (l) Conf. BRECHÆ. (m) & GOEDD. (n) Ubi notandum: *Possessorem non teneri ad bonam fidem probandam;* (o) quippe, *Jure permissum quidq; præsumitur, nisi contrarium probetur.* GOTHOF. (p) Et, B. f. est *ignorantia Rei alienæ*, ut dictum modo, in *dubio autem præsumitur ignorantia & non scientia.* (q) Quæ *Juris præsumptio, onus probandi in alteram partem transfert.* (r) Add. DUAREN. (s) Jure autem Civili, B. f. ab initio saltem adesse sufficit, tempore nempe Traditionis, nec attenditur si deinceps Rem alienam esse deprehenderit. (t) Nisi in Contractu Emptionis & Venditionis, ubi non solum tempore Traditionis, sed etiam Contractus b. f. desideratur. (u) Jure verò Can. non tantum ab initio, sed per totum temporis intermedii spatium, ad completam usq; Usucapionem b. f. necessaria; nec oportet, ullo temporis momento, scientiam Rei alienæ adesse. (x) Cum quo etiam Jus Pat. consentit. (y) nec aliter in foro Saxon. observari testatur SCHULTZ. (z) Conf. MYNSING. (a) & GAIL. (b) *Utrum verò LL. quæ m. f. inducunt, Jure Can. sint correctæ?* Negat BARTOLUS (c) aliiq;. Variorum memorat opiniones FACHINÆUS, tandemq; concludit, Jur. Can. esse correctas. (d) Nec alia mens est SCHNEIDEW. (e) Quod ut tutissimum, merito amplectendum videtur, *ne quis contra conscientiam faciendo, ædificet ad gehennam.* (f)

§. V. Si ad Usucapionem proficere debeat *Possessio*, necessum est (g) *Justo* nitatur *Titulo*. Qui secundum MYNSINGERUM est, *per quem judicatur aliqua possidendi legitima causa, sufficiens ad Dominium adquirendum.* (g) Non tamen eum intendimus, quem à vero Domino quis habet, cum is sufficiens esset, adjuncta ei Traditione, ad Dominium consequendum: (h) Sed illum quem quis habet a non-Domino, quem tamen putabat esse Dominum. (i) Adeoq; omnes illi *Tituli* Justæ Possessioni inservire possunt, qui ad Dominii adquisitionem faciunt. (k) Necessarium verò regulariter, ut *Titulus* hic sit *Verus* & non *Putativus*: hoc est, si quis putet se ex Justa Causa possidere, sed falsè; E.g. donato, empto, legato, etc. nulla tamen emptio, legatum aut donatio facta est. *Error enim falsæ causæ usucapionem non parit.* (l) Quia, *falsa opinio & existimatio, veritatem causæ mutare non potest.* (m)

§. VI. Ex definitione B. f. demonstrata fluit (y) Requisitum, *Traditio*: fuit enim illa sincera conscientia de ignorantia *Rei alienæ tradita*. Quæ adesse nequit, nisi *Res sit tradita*. Quia, *nudus Titulus* à vero Domino comparatus, ad translationem Dominii absq; *Traditione* non sufficit. (e) Nec ideo idem à non-Domino adquisitus, usucapiendi conditionem transfert, nisi interveniente *Traditione*, occasione illius Tituli à non-Domino facta. (f) Cum vero, utriusq; consensus, id est, Tradentis & Accipientis in Traditione concurrere debet; (g) per vim Res occupata sit, non oportet; utpotè consensui contraria: *quam comprobare contra bonos mores esset.* (h)



*k) ad Instit. de usucap. in prin. n. 13. l) arg. prin. Instit. Tit. cit. l. unic. C. de usucap. transf. m) ad l. 109. ff. de verb. sign. n) ad leg. cit. n. 2. o) SCHNEID. loc. cit. n. 21. p) ad l. 5. ff. de probat. q) l. 21. ff. de probat. r) l. 5. ff. ibid. s) in Tit. de probat. Cap. XI. t) l. 48. ff. de acq. rer. dom. l. 11. ff. de diverf. temp. præscript. Conf. HUNNI. Var. resol. Jur. Civil. lib. 2. Tract. 3. Quæst. 8. u) l. 2. in prin. ff. pro empt. DUAREN. ad Tit. de usurp. & usucap. Cap. 11. x) Cap. 5. & final. X. de præscript. Cap. Professor. de reg. jur. in 6. y) Cap. 30. JordB. ll. §. 1. z) Syn. Instit. lib. 2. Tit. 6. lit. A. & B. a) Cent. 4. obs. 6. b) 2. obs. 18. n. 7. c) ad l. 27. §. 4. ff. de usucap. d) lib. 1. Controv. Cap. 63.*

*e) In prin. Instit. de usucap. n. 20. f) Cap. literas. 13. de restit. spoliat. g) in Rub. Instit. de usucap. n. 12. h) l. 20. C. de pact. i) In prin. Instit. Tit. cit. k) l. 3. §. 21. ff. de acq. vel amit. pos. l) §. 6. Instit. de usucap. l. 27. ff. eod. tit. m) l. 6. ff. de municip. e) l. 20. C. de pact. f) l. 74. ff. de cont. empt. g) l. 55. ff. de act. & oblig. l. 37. §. 6. ff. de acq. rer. dom. h) l. 116. ff. de reg. jur. Conf. Cap. 28. KongB. ll. Cap. 18 & 19. JordB. ll. Cap. 25. BygnB. ll. Cap. 38. TeufB. ll. Cap. 13. JordB. Stl. Cap. 18. TeufB. Stl.*

§. VII. Nihil autem prodest, Rem b. f. ex Justo Titulo accepisse, nisi (9) Usucapioni obnoxia sit. (i) Quocirca observandum: *Omnes Res, quæ commercio hominum sunt subjectæ, nec expressè prohibitæ aut exceptæ, usucapi posse.* Juxta Reg. *Quæ Jure non reperiuntur prohibita, censentur Jure esse permissa.* (k) Exceptæ autem sunt, *Liber homo,* (l) *Res Sacræ,* (m) *Publicæ,* (n) *Civitatis & Reip.* (o) *Furtivæ,* (p) propter vitium reale, quod Rem perpetuo comitatur; (q) nec purgatur antequam ad verum Dominum revertitur Possessio. (r) Præterea, *Res amotæ,* quas conjuges sibi invicem amoverunt. (s) *Res vi possessæ,* (t) *Pupillares,* (u) durantibus enim annis pupillaribus neq; currit, neq; incipit usucapio, sed *Dormire* eam dicunt Dd. vid. RACHEL. (x) *Res ejus qui legitime agere impeditur.* (y) Add CARPZOV. (z) *Res dotales & hæreditariæ liberorum;* (a) Conf. LOCCEN. (b) & CARPZOV. (c) Et *Res testamento alienari prohibitæ.* (d)

§. VIII. Ultimum denique ac (e) requiritur, *Tempus continuum lege definitum.* Nam non continuatio Possessionis est corruptio Usucapionis. (e) Possessio autem continuatur, non solum penes unum eundemq;, sed etiam si in aliũ legitimè sit translata. Quod valet non solum in *successore universali* sed etiam *Singulari;* (f) nisi hic accessione Possessionis sui autoris uti nolit. (g) Imo continuatur sive per nosmet ipsos, sive per alios possidemus. (h) *Interrumpi*

*i) l. 24. in prin. ff. de usucap. k) l. 1. §. 1. ff. de test. l. 43. §. 1. ff. de procurat. l) l. 9. ff. usurpat. §. 2. Instit. de inutil. stipul. m) §. 8. Instit. de rer. divis. §. 1. Instit. de usucap. n) l. 45. ff. eod. tit. o) l. 9. ff. eod. p) l. 4. §. 6. eod. q) §. 2. & 3. Instit. tit. cit. l. 2. C. de usucap. pro empt. r) §. 8. Instit. tit. cit. s) l. 29. ff. de act. rer. amot. t) §. 2. & 3. Instit. tit. cit. u) l. 10. ff. quemad. servit. amit. l. 48. ff. de acq. rer. dom. l. 3. C. de præscript. 30. & 40. annor. x) Instit. Jurisp. lib. 2. Tit. IX. §. XXVIII. y) l. 1. in fin. l. 2. C. de annal. except. Conf. Cap. 18. Jord B ee. z) Jurisp. for. part. 2. Const. 4. defin. 14. n. 4. a) l. 3. l. 4. l. 16. ff. de fund. dotal. b) diff. 9. Quæst. 31. c) loc. cit. const. 9. def. 3. d) l. 2. C. de usucap. pro empt. e) arg. l. 2. ff. de usucap. f) §. 12. Instit. eod. tit. g) l. 5. ff. de diverf. temp. præscr. l. 7. §. 11. ff. de pub. in rem act. h) l. 1. §. 1. 9. & 20. ff. de acq. poss. l. 1. l. 8. C. eod. tit.*

*rumpi* autem dicitur, *quando inchoata perimitur:* sic, ut forte revivíscens, non possit præteriti temporis Possessio, cum sequenti conjungi, sed de novo inchoanda. Est *Interruptio* alia *Naturalis,* quando quis possessionem amittit & vi dejicitur; i) alia *Civilis* quæ in specie *Interpellatio* dicitur: & fit per actum quendam Civilem, & Possessionem per se non aufert, sed Jus possidendi dubium reddit. Inter Dd. autem vix convenit, quonam *actu Civili* seu *Judiciali* interrumpatur? Quidam tradunt *Triennii* usucapionem olim *sententia Definitiva,* k) *Longi* verò *temporis, litis contestatione:* l) & *Longissimi, Citatione,* fuisse interruptam. m) Vid. GAIL. n) Imperat. Usucapione reformata, hoc improbavit, statuitq; *Denunciatione & Citatione Judiciali,* aut in ejus defectu, si haberi nequit, *Extrajudiciali,* testatò peracta, quamlibet usucapionem interrumpi. o) Add. WESENB. p) BRUNN. q) & HAHN. r) *Tempus* autem usucapionis LL. definitum est Jur. Rom. *Triennium, Rerum mobilium: Immobilium* vero *Longi temporis possessio,* hoc est, *inter præsentes decennium, inter absentes anni viginti.* s) Præsentes autem judicandi, qui in eadem provincia domicilium habent. t) Vel hodiè, sub eodem Judice. vid. BACCHOV. u) Jur. Pat. Tres inveniuntur Usucapionum species; nimirum, *Annalis,* x) Natt och Jambånga. y) *Triennalis,* z) & *Immemorialis,* Uhrminnes Häfd/ a) Når ingen mins eller af sanne sagu weet/huru det först kom. b) Unde tantum tempus, cujus initii memoria non extat, *Moraliter infinitum* dicit GROT. c) Jure autem Saxon. duæ d) tantum expressæ reperiuntur;



*i) l. 5. ff. de usurp. k) l. 2. §. fin. ff. pro empt. l) l. 2. & 10. C. de præscript. long. temp. m) l. 2. C. de annal. except. u) lib. 1. Obs. 74. n. 22. o) l. 2. C. de annal. except. p) Parat. de usuc. n. 15. q) Exercit. Justin. 9. in fin. r) ad* WESENB. *loc. cit. s) Instit. de usucap. & long. temp. præscript. t) l. ult. C. de long. temp. præscript. u) ad* TREUTL. *vol. 2. disp. 22. Thes. 4. lit. H. x) Cap. 32. Kongb. B. Cap. 2. 7. & 8. Jorcb. B Cap. 10. Kongb. Stl. Cap. 2. Jordb. Stl. Cap. 7. Rådstb. Cap. 12. Erfdb Stl. y) Cap. 23. Erfdb. B. z) Cap. 18. Jordb. B. Cap. 15. §. 1. Cap. 16. Erfdb. B. conf. Cap. 21. Egnsal. OL. a) Cap. 1. Jordb. B. b) Cap. 4. §. 4. Kongb. B. c) de I. B. & P. lib. 2. Cap. 4. §. 7. d) Landr, lib. 1. art. 28.*

tur; *Annalis* altera, Jahr und Tag, das ist, ein Jahr und sechs Wochen / (e) Altera *Tricennalis* cum anno & diebus, hoc est, triginta annis cum uno, sex septimanis & tribus diebus. (f) Conf. SCHULTZ, (g) SCHNEID. (h) & CARPZOV. (i) Hæc ita in genere, de Requisitis Usucapionis regulariter necessariis, tradita sunto. Nec interim diffitemur, quin via, ad plurima in hujus materiæ illustrationem facientia, pateret; &, quæ calamo prolixiori perstringenda forent, ni forsan moles nostri laboris nimium excrescere videretur. Unicum tamen, antequam manum de tabula, loco coronidis, subjicere liceat.

§. IX. Rerum Dominia Usucapione *Originariè* adquiri dictum: demonstrandum ideo venit, hunc Modum *Derivativum* non esse. Lubet eapropter inquirere, *An Dominium prioris Domini transfertur? An vero, ejus velut extincto, novum usucapienti à sola Lege Civ. adjicitur?* Quanto minus, in decidenda hac quæstione, JCtos huc usq; fuisse sollicitos video: tanto confidentius veniam, si veritatem acu ut dicitur vix tetigerim, sperarem, quo alias altioris est indaginis, decidendi rationes ex LL. eruere. Sequentibus tamen subnixi fundamentis, membrum posterius acceptamus. I. Usucapiens saltem *conditionem usucapiendi à non-Domino accipit*, (k) cum *Dominium ipsum* non habet: ratio evidens, quia dicitur *non-Dominus*. (l) *Plus ergo Juris in alium transferre nequit, quam ipse habet.* (m) II. Non potest transferri *idem Dominium*: quia, revera contra voluntatem primi Domini, Rem ad secundum possessorem transiisse præsumendum; cum alias non potuisset dici *non-Dominus* sed *Dominus*: adeoq;, Jus illud quo Res ipsius propria est, respectu secundi possessoris manet, Ratio, quod *Dominium non transfertur absq; voluntate utriusq;*. (n) Respectu verò usucapientis, impleta usucapione, Dominium primi possessoris manere nequit, sed quantum paulatim hujus quasi extingvitur, tantum istius Lex adjicit, usq; dum usucapio impleatur. III. *Traditio nihil amplius transferre debet vel potest ad eum, qui accipit, quam est apud eum qui tradit; si igitur quis Dominium in fundo habuit, id tradendo transfert.* (o) Heic clarissime adfirmat ULPIANUS, *tradentem nihil quicquam transferre;* nempe, ratione ipsius *Dominii*, sed *solam possessionem*, (p) ex qua accipienti *conditio ac facultas usucapiendi* (q) nascitur. Conf. GOTHOF. (r) Quia, *vitium autoris, singulari successori, neq; prosit neq; noceat.* BRONCH. (s) Unde tradentis b. f. non prodest accipienti m. f. in usucapione, quia non sustinet personam tradentis, ut Successor universalis, hoc est, hæres personam defuncti. (t) E contra, m. f. tradentis, nec nocet accipienti, usucapionem incipienti, id est, si nolit uti accessione possessionis sui autoris, sed ex sua persona usucapionem inchoare velit. (u) Hinc satis cum adpareat, Dominium à tradente in usucapientem non transferri, debet ergo illud aliunde suppleri; quia, *Usucapio est Dominii adjectio.* (x) Quod ipsum, ut dixi, præstat Lex. Si tamen meliora edocti, sententiam ultro revocabimus nostram.

TANTUM.

e) Weichb. *art. 21. in prin.* f) *Nov. Elect.* AUGUST. *p. 2. Const. 6.* g) *Syn. Instit. ad. Tit. de usucap. lit. L.* h) *ad eund. Tit. Instit. n. 83.* i) *Jurisp. for. part. 2. Const. 3. def. 3. n. 7. item def. 5. n. 1.* k) *l. 46. ff. de acq. rer. dom. Conf.* GOTHOF. *ibid.* l) *l. 74. ff. de contr. empt.* l) *Instit. prin. de usucap.* m) *l. 54. l. 120. l. 160. l. 167. ff. de reg. jur.* n) *arg. l. 55. ff. de obl. & act. l. 37. §. 6. ff. de acq. rer. dom.* o) *l. 20. ff. eod. tit.* p) *l. 21. in prin. ff. de acq. poss.* q) *l. 74. ff. de cont. empt.* r) *ad leg. cit. 46. ff. de acq. rer. dom.* s) *ad l. 54. ff. de reg. jur.* t) *l. 59. l. 92. ff. tit. eod.* u) *l. 5. ff. de diverf. temp. præscript. l. 7. §. 11. ff. de pub. act.* x) *l. 3. ff. de usucap.*

---

*Errata extantiora B. L. ita corrigat.*

*Cap. I. lin. 3. extat Eujusq; leg.* Ejusq;. *Ibid. §. 2. lin. 6.* deprehendi *lin. 7.* aliquem *lin. 15.* aquæductus *ibid. in cit. lit. n.* aq. & aq. *§. 3. lin. 2.* Adquisitio. *lin. 34.* pertinaciam *§. IV. lin. 1.* impedire *lin. 39.* sæpius *lin. 73.* sufficit *§. VII. lin. 9.* Cap. III. §. II. *lin. 79.* maximè *§. IX. lin. 17.* illud *lin. 24.* concessione *lin. 35.* alterius *lin. 37.* Privatio *lin. 41.* Ob *lin. 136.* legislatoris *lin. 137.* validissime *§. X. lin. 18.* communionis *§. XII. lin. 29.* (y) *lin. 87.* decisæ *§. XIII. lin. 32.* enunciarem *lin. 63.* talis *§. XIV. lin. 36.* conveniunt *Cap. II. §. I. lin. 11.* devincta *§. VII. lin. 36.* præcipuè *Cap. III. consp. XIII.* desivêre *§. XVII. lin. 50.* possidendi *Cap. IV. §. III. lin. 29.* magis.